





1. abfertigung der beerdigung,
ob einem Scriben bij dem
frou bisnam = top für ein
zweyten erlaubt 1690
2. Christo-gennete untersuchung
ob ein yordiger die marck
Pract meines Amtes p. bij
der absolution verlassen
können 1733.
3. van Bashuysen p. Henr. Jac.
diff. de theologia naturalis
protestantia, Serveste 1726

38 39

LAVRENTII REINHARDI,
S. S. THEOLOG. DOCTORIS,
ECCLES. ET DIOECES. BVTTSTAD. PASTORIS PRIMARIJ
AC SVPERINTENDENTIS,

OBSERVATIONES

IN

EVANGELIVM

S. IOANNIS

PHILOLOGICO-EXEGETICAE
SELECTISSIMAE,

QVIBVS

CELEBERRIMORVM VIRORVM,
PAVLI TARNOVII

IO. CHRISTOPHORI WOLFFII,

ET

CHRISTIANI STOCKII,

ADNOTATIONES SVPPLENTVR
ET AVGENTVR.



LIPSIAE, R

SVMPTEBVS THEOPHILI CLANNERI.
M DCC LI.



38 30

LAVRENTII R. EINHARDI
 THEOLOG. DOCTORIS
 ECCLESIE ET SIBO & SVITIAE SASTORIS PRIMARII
 OBSERVATIONES
 IN
 EVANGELIVM
 S. IOANNIS
 THEOLOGICO EXPOSITICAE
 REFLECTIONE
 GEBRUCHEN VON
 PAULI PARNOVII
 IO. CHRISTOPHORI WOLFFII
 CHRISTIANI STORII
 ADDITIONES SVPLENTIAE
 ET AVERTIVAE
 A
 SVMPTEBVS THEOPHILI CANNERTII
 IN DEC. MDCCCLXXII



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
ERNESTO
FRIDERICO,

DVCI SAXONIAE,
JVLIIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
ATQVE WESTPHALIAE, LANDGRAVIO THV-
RINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, PRINCIPALIS DIGNI-
TATIS COMITI HENNEBERGIAE, COMITI MARCAE
ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE
RAVENSTEINII,
RELIQVA,

PRINCIPI AC DOMINO
MEO LONGE CLEMEN-
TISSIMO.

SERENISSIME DVX,
PRINCEPS AC DOMINE MVLTTO
CLEMENTISSIME,



quo major est eximiārum virtutum
PRINCIPVM fastigio dignarum
cumulus, qui in TE conspicitur,
omnesque, propius TE intuen-
tes, in admirationem TVI rapit:
eo minus quisquam mirabitur,
quod singularis pietatis, qua TE
dudum colui, publicum statuere monumentum
audeo.

Pie-

Pietati studes: eruditos clementia comple-
cteris, litterarumque studiis justum statuis preti-
um: consiliis ad publicæ rei commoda capiendis
interesse consuevisti, ut cives SERENISSIMAE
DOMVS TVAE imperio subjecti justitiae, mu-
nificentiae ac sapientiae TVAE fructus mature
sentiant; ad summam: iis adfuetus es nego-
tius, quae aeternam ac perennem TIBI pariunt
gloriam. Qua de re fieri solet, ut omnium oculi
animique in TE convertantur: et unus quisque
confiteatur, nisi per generis conditionem et pri-
mogeniturae jus jam provinciarum gubernaculo
destinatus esses, TE tamen longe esse dignissimum,
qui aliquando summam rerum teneas.

Accipe igitur, PRINCEPS SERENISSIME,
serena fronte hunc libellum, demississimi, quo
TE prosequor, animi cultus testem publicum.
DEVS O. M. ad feram usque senectutem TE, at-
que SERENISSIMAM CONJUGEM TVAM, an-
gelicis fere decoribus coruscantem, incolumes
praestet, et omnibus felicitatibus cumulet, VO-
BISQUE exoptatam prolem largiatur. Salvum
atque fortunatum quam diutissime conservet Se-
renissimum, cunctisque laudibus majorem, PA-
TREM TVVM, cui PII ET SAPIENTIS cogno-
men grata tribuet posteritas: una cum Serenif-

lima MATRE, sexus ac fastigii sui ornamentis
admirationem sui omnibus bonis injiciente.
Felices reddat Serenissimos FRATRES, in spem
patriae magis magisque efflorescentes: nec
non Serenissimas SORORES, Principum vir-
ginum principes, et generis humani deli-
cias.

SERENISSIMO NOMINI
TVO,
DOMINE MVLTO CLEMEN-
TISSIME,

subjectissimus, devotissi-
musque

D. LAVRENTIVS REINHARDVS,



LECTORI
CANDIDO, PIO, AC BENEVOLO
S. P. D.
AUCTOR.

Exhibeo tibi tandem etiam Observatio-
nes in **EVANGELIVM S. IOANNIS**;
quibus **IO. CASPARIS HAFERVNGII**,
Theologi quondam Wittenbergenfis
clariffimi, adnotationes manu fcriptas,
quae in feriniis meis delitefcebant, pas-
fim inferui; ratus, in his laudatum virum
infignem operam interdum collocaffe, adeo ut di-
gnae fint, quae ab oblivionis injuria vindicentur.

Exhibeo tibi fimul *Spicilegium observationum*
in priores Evangeliftas; quod aequi bonique con-
fules, lector amice.

1.) *Math. III. 4.*

Axgides Joannis non erant locustae, fed *canevi* *Levit. XI. 12.*
vetiti, quibus ille vefcebatur, ut indicaret, legem caeri-
monialem mox finem fuum effe habituram. 2.)

2.) Matth. IV. I - II.

In hac historia non negligendi sunt *actus Christi meritorii*. Nam

a) in prima tentatione luit nostram luxuriam et intemperantiam; ex adverso promeruit nobis tum nutrimenta animae, tum benedictionis divinae plenum usum ciborum terrestrium.

β) in secunda luit nostram securitatem peccataque angelos sanctos a nobis propellentia; at promeruit nobis tutelam angelorum bonorum in viis nostris.

γ) in tertia luit nostrum contemptum haereditatis perennis; at promeruit nobis possessionem Palaestinae coelestis.

3.) Matth. XIII. 12.

Εξεν pro κατέχεν pari ratione adhibet Paulus in dicto commemoratu et memoria dignissimo, 1. Tim. III. 9.

4.) Matth. XV. 5.

Haec verba sic vertenda sunt: Es ist Gott gegeben und geopfert, damit ich dir hätte helfen sollen. Conf. observationes celeb. THOMAE GOODWINI ad h. l. et Marc. 7, 11. in *Mose et Aarone*, cum notis JO. HENR. HOTTINGERI.

5.) Matth. XVIII. 7. 8. 9. 10.

v. 7. ἄνθρωπος ἐκεῖ ἐστὶν ἄνθρωπος est Anti-Christus 2. Thessl. 2, 3 - 11.

v. 8. 9. h. l. tropice describitur suffocatio pravarum cupiditatum et purificatio cordis. Jos. 7, 1 - 12. 1. Sam. 28, 8. 2. Sam. 11, 2. Job. 31, 1. Deuter. 13, 6 - 10. add. 2. Cor. 7, 1. Ergo ἐκκοψον h. l. non *physice*, sed *moraliter* intelligi debet, vultque, ut malas cupiditates, per organa manuum, pedum et oculorum sese exserere volentes, cohibeamus. Coloss. 3, 5.

v. 10. Ipse ABRAHAMVS CALOVIVS tom. IV. *System. Theolog.* pag. 77. statuit, cuilibet homini fidei *ordinavie*

unum adsignatum esse angelum. Conf. tum Dan. 3, 25. Act. 12, 7. tum Genes. 32, 1. 2. 2. Reg. 6, 17. Luc 16, 22. Pf. 34, 8. et 91, 11. 12.

6.) Marc. II. 28.

Christus sese saepissime nominavit *filium hominis*, ut indicaret, tum se esse verum hominem, tum se in statu exanitionis a plerisque sperni atque contemni. Nam filii illustri dicebantur בְּנֵי הַאֱלֹהִים sed filii vilis hominis dicebantur בְּנֵי אָדָם et בְּנֵי הָאָדָם In statu deinceps exaltationis Christus sese non amplius vocavit filium hominis, neque in Apocalypsi amplius eodem sensu sic adpellatur. (Conferantur interea Ezech. I. 26. Dan. VII. 13. Apoc. I. 13.) Id quod jam probe adnotavit celeb. D. HEVMANNVS in programm. *de filio hominis*.

7.) Luc. X. 25 - 37.

Haec commata non complectuntur parabolam de populo Judaico ad ecclesiam Christi perducendo et duobus sacramentis alendo etc. Nam

a) Jesus non narrat parabolam, sed veram historiam.

β) Synergistae et Semi-Pelagiani hac interpretatione abutuntur.

γ) Alias Christus conscendisset in criminationes Judaeorum Jo. VIII. 48.

8.) Luc. X. 42.

Ἀγαθὴ μερίς, judice celeb. D. HEVMANNO, significat *optimam haereditatis portionem*.

9.) Luc. XIV. 18.

Ἀνάγκη ἰχθῶ (pro χεῖρα ἰχθῶ Matth. 3, 14.) bellissimus est Graecismus, quo etiam usus est *Pbilosofratus in vita Apollonii Tyanaei* lib. 7. cap. 1.

B

10.) Luc.

(10.) Luc. XVI. 1. sqq. Summe reverendus JO. CHRIST. SCHMIDTIVS, acuti vir judicii, in vollst. Samml. heiliger Reden p. 774. sqq. per *οικονομον αδικίας* intelligit oeconomum, cui male partae o- pes concreduntur: hic per calumnias perditarum opum crimine accusabatur; quod veritati adversabatur. (NB. *ως διασκοπιζων.*) Postea ipse dominus opum laudabat oeconomum ob manifestatam prudentiam. Intelligit igitur Christum, quem Judaei criminabantur abrogasse doctrina sua nova decimas, sacrificia, reditus templi, alimenta sacerdotum ac Levitarum. coll. Matth. 23, 14. 25. Io. 11, 46. sqq. et 4, 21. Reliqua per parabolam non nimia cura pervestigari debere simul aumat.

11.) Luc. XVI. 20. 21.

Divitem non immisericordiam, sed, more sanguineorum, liberalitatem demonstrasse erga Lazarum, ego existimo.

12.) Luc. XVIII. 11. 12.

Defuit prorsus hodie inter Judaeos Sadducaeismus, omnesque illi dividuntur in

a) *Rabbanitas*, qui et Essenorum quaedam placita amplectuntur.

β) et *Karraeos*. Vid. celeb. ANDR. GE. WAEHNERI Ant. Hebr. tom. 2. p. 762. sq.

Rabbanitas non concedere conjugia cum Karracis, docet IKENIVS in Ant. Hebr. p. 486.

13.) Luc. XXI. 25. sqq.

Hanc meam interpretationem etiam amplexus est celeb. IO. JAC. QVISTORPIVS ao. 1748. in Reden über verschiedene Texte heiliger Schrift.

Fruere hisce, lector candide, huncque librum hilari animo suscipe. Scripsi Buttstadii in Thuringia, ipsis Calendis

Maji, an. M DCC L.

EVAN.



I. N. I.

EVANGELII S. IOANNIS

CAPVT I.

v. 1.

E^v *ἀρχῆ* in principio, i. e. eo ipso momento, quo mundus incipiebat existere, (Gen. 1, 1.) jam existebat verbum *ὑποστατικόν* seu filius Dei, utpote aeternus. Ef. 9, 6. Mich. 5, 1. 2. Psalm. 33, 6. 107, 20. Hagg. 2, 5. 1. Io. 1, 1. 2. 5, 7. Conf. 2. Sam. 7, 21. coll. 1. Chron. 17, 19. Jes. 42, 1. 52, 11. Patres Graeci Sec. IV. interpretati sunt sic: in principio rei in Deo pater, qui est principium filii, fuit *λόγος* seu secunda persona: nam una persona est in alia: Io. 14, 10. et 17, 21. ideoque dispararunt contra Arianos, qui Trinitatem personarum negabant. Nolim tamen ego phrasin adhibere: *Pater est principium Filii*; licet D. FRIDEM. BECHMANNVS. excusare eam videatur.

ὁ λόγος, verbum *ὑποστατικόν*,

- 1) est secunda Deitatis persona, Pf. 33, 6. 1. Ioh. 5, 7.
- 2) est verus Deus, quia expresse et absolute dicitur *ὁ θεός*.
- 3) quia opera divina, creatio et regeneratio, ipsi tribuntur. v. 2. 3. et 4. 13. Ioannes nomen scivit *λόγος* neque a Pythagora aut Platone, neque mere a paraphrasibus Chaldaicis, quae saepius *מִימְרָה* pro Messia adhibent; sed a Spiritu S. et ex scriptis propheticis.

B 2

v. 2.

v. 2. Hic exprimitur ὁμοσιία Filii cum Patre. Prov. 8, 22. Exod. 23, 21. et Io. 10, 30.

v. 3. διὰ τῆς, per ipsum, non tanquam per causam instrumentalem, sed tanquam per causam efficientem principalem; sicut 1. Cor. 1, 1. Gal. 1, 1. Prov. 3, 19. etiam de patre usurpatur. Idem ergo est, ac si diceretur: ab ipso omnia facta sunt. Sine eo nihil factum est, neque ullum decretum, neque opus divinum ad extra.

v. 4. Ζωή, vita erat in ipso, nempe aeterna et immutabilis vita, est, fuit, et erit in Christo. Christus est vita

a) ζωὴ αἰώνιος. Io. 5, 26. 11, 25. Col. 3, 4. 1. Io. 1, 1.

b) ἰσχυροῦς ζωῆς. Io. 10, 11. 2. Cor. 5, 15.

Τὸ Φῶς, Lux hominum est Christus, quia homines illuminare vult omnes, et eos revera illuminat, qui verbum ejus recipiunt. 2. Pet. 1. v. 19.

v. 5. Ἐν τῇ σκοτίᾳ, in tenebris, i. e. in hominibus, qui per naturam sunt obtenebrati, lucet lux evangelii, et in ea Christus. Ephes. 5, 8.

v. 7. Ἐν μαρτυρίᾳ, testimonium, i. e. praeconium evangelii obire debebat Iohannes, lingua sua ad hoc commodata, Ioh. 9, 27. et cap. 5, 39. testes autem coelestes absque lingua testantur. 1. Ioh. 5, 7.

v. 8. Τὸ Φῶς, lux nempe principalis non erat Iohannes, Malach 4, 2. 5. erat tamen ministerialis, ut alii doctores. Matth. 5, 14. Ioannes dicitur λύχνος. Io. 5, 35. Christus vero Φῶς est.

v. 9. Ἐρχόμενον, venientem omnem hominem scilicet, qui in mundum venit, cum nascitur, illuminat Christus. Rectius ἐρχόμενον refertur ad Φῶς, quia Iesus in mundum venit ut lux. Ioh. 9, 2. 3. 4. 60, 1. 2. 3. Sociniani dicunt esse neutrum, et ne cogantur admittere Christum esse aeternum Deum, ad lu-

men,

men, nempe Christum referunt, hoc sensu, postquam Christus venit in mundum.

v. 10. Ἐν τῷ κόσμῳ, in mundo erat lumen, seu filius Dei, nempe secundum Deitatem statim post creationem, et mundus seu homines non cognoverunt illum, quia post lapsum naturaliter ignorant mysterium Trinitatis, Matth. 16, 16. 17. et postquam natus est homo, etiam nemo naturaliter cognovit, ipsum esse Dei filium et Messiam.

v. 11. Εἰς τὰ ἴδια, in propria veniebat, nempe ad populum Israeliticum, ex quo nasci voluit, Luc. 1, 32. et in quo habitavit per cultum Leviticum, sed Israelitae non receperunt eum, Act. 13, 46. Venit in proprium domicilium (LXX. Interpr. Esth. 5, 10. 6, 12.) Io. 19, 27. Judaea Christo nacenti, docenti, morienti hospicium praebuit.

v. 12. ἔλαβον, fide scilicet: nam fide sola recipimus Christum, eoque recepto accipimus simul potestatem, ut filii Dei evadamus in regno gratiae, et tandem in gloria; accipimus autem fidem in regeneratione. v. 13. Ioh. 3, 5. 6. ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος ἁγίου, est, potestatem et jus, ut simus filii Dei. Fides ergo justificat complete et perfecte. Ἐξουσία significat jus, γενέσθαι significat esse, sicut, Marc. 1, 17.

v. 13. Judaei falso jus suum ὑποθεσίας, tribuebant juri sanctorum, quod ab Abrahamo deducebant.

v. 14. ὁ λόγος, verbum, i. e. secunda Deitatis persona, factum est caro, seu assumpsit hominum naturam, seu Deus factus est homo, itaque

- 1) habitavit inter nos ut Deus, et homo.
 - 2) habuit divina idiomatica, quae dicuntur h. l. δόξα.
 - 3) pro nobis satisfecit, et verbum veritatis praedicavit.
- In hoc dicto latent tria genera communicationis idiomaticum:

a) ἰδιοποίησις. Io. 8, 58. 1. Cor. 2, 9.

b) ὑπερῦψωσις. Matth. 28, 18.

c) κοινοῦς ἀπὸ τελεσμάτων. Act. 20, 28.

Christus dicitur *plenus gratia et veritate*, secundum Exod. 34, 6. Pl. 89, 2. 3. et 117, 2. Ief. 16, 5. Mich. 7, 20.

v. 15. ὅπισω, post Iohannem est Christus, nempe natus secundum humanitatem, et post ipsum exorsus est ministerium suum; fuit tamen ante ipsum secundum Deitatem, et divinum imperium, quia est ab aeterno. Apoc. 1, 18. Rom. 10, 5. conf. v. 27. Matth. 3, 11. Marc. 1, 7.

Πρῶτός μὲν, i. e. πρότερός μὲν prior me, superlativus pro comparativo ponitur, confer. v. 30. add. Coloss. 1, 15.

v. 16. Πλήρωμα, plenitudo, abundantia, menotat meritum Christi iustitiam, qua Christus per se abundat, neque opus habet ad suam salutem; ideoque nobis eam donat, simulque vitam et gaudium. Coloss. 1, 19. 2, 9. Io. 3, 34. Ipse vero est essentialiter iustus et beatus, 1. Tim. 6, 15. respicitur ad v. 14. ubi Christus dicitur plenus gratiae: sumitur ergo hoc loco vox active, quae Ephes. 1, 23. passive usurpatur. Immo πληρωμα significat totum meritum Christi infinitum, et abundantissimam, ex quo omnes gradus gratiae in ordine salutis, ceu ex fonte, manant.

Χάρις ἀντὶ χάριτος gratiam pro gratia, i. e. pro gratuita iustitia Christi, quae nobis in verbo donatur, quamque Deo offerimus per fidem, accipimus etiam gratiam, nempe remissionem peccatorum et salutem aeternam, Rom. 4, 6. 7. 2. Cor. 8, 9. Iudice I. C. HAFERVNGIO.

v. 17. Ἐδόθη, data est lex per Mosen, tanquam ministrum, qui illam accepit a Deo, Exod. 32, 16. facta autem est gratia et virtus, i. e. gratuita remissio peccatorum, et vera iustitia per Christum, tanquam ejus auctorem, Rom. 10, 14. PE-
TRVS

TRVS BRINCHIVS in *philol. sacra* p. m. 20. 21. per *χαρῶν* intelligit gratuitam justificationem coram Deo; per *ἀληθείαν* vero sanctificationem hominis justificati.

v. 18. *ὁδοίς*, nemo vidit Deum; nempe perfecte. Nos beatifice videbimus Deum, 1. Cor. 13, 12. Christus autem videri et novit omnia, quae sunt in Deo, Ioh. 5, 19.

Εἰς κόλπον, in *sinu*, pro *ἐν κόλπῳ*. Intra essentiam patris est filius. Respicitur tum ritus V. T. quo aliorum filii in sinum recipiebantur, simulque in filios proprios adoptabantur. Gen. 30, 3. tum mos, quae cara sunt, in sinu gestandi.

v. 19. *ἱερεῖς*, sacerdotes et Levitas, viros publicae auctoritatis, quibus religionis cura commissa erat, Malach. 2, 7. (de quorum discrimine videatur TH. GOODWINI Moses et Aaron p. 109. edit. HOTTINGERIANAE) mittebant Judaei i. e. proceres Judaeorum, qui in Synedrio magno constituti erant, quod constabat 72 viris. Unversalis eo tempore inter Judaeos fuit promissi Messiae expectatio: et nota erant vaticinia, de baptismo, temporibus Messiae. Psalm. 29, 10. Zach. 13, 1. Ies. 35, 6. et reliqua.

v. 21. *ὁ προφήτης*, *ver* Prophet; nam sermo est de individuo non vago aut incerto, sed signato et certo; nempe de magno illo Propheta, quem Moses praedixerat Deut. 18, 15. qui erat ipse Christus. Act. 7, 37.

v. 23. *Φωνή*, vox clamantis, Iohannes Deo commodabat vocem: clamator ipse erat Spiritus sanctus Matth. 10, 20. Per desertum intelligitur ecclesia Israelitica, quae deserto similis erat, propter fidelium paucitatem.

v. 25. *Βαπτίζεις*, quid baptizas?

1) novum omnino et inusitatum sacramentum erat baptismus, qui neque a Iustrationibus Leviticis, neque ab ablutionibus Pharisaicis potest deduci; hinc putabant, Ioan-

Ioannem aut Christum, aut Eliam, aut magnum esse Prophetam.

2) existimabant illi: etiam ipsum rediturum esse, cum tamen intelligeretur Ioannes in Spiritu et virtute Eliae. Luc. 1, 17. conf. Malach. 4, 5.

3) putabant, Prophetam fore alium, quam Christum, sed falso. Ioh. 6, 14. Act. 3, 22.

v. 16. Μέσσω ἰμῶν, *medius vestri*, pro ἐν μέσσω, *in medio vestrum* stat Iesus Dei filius, qui iussit me baptizare. Αὐτός (237) ille promissus Messias. Itaque Iesus est verus Deus: et baptismus Iohannis est idem specie, qui Christi, quod contra Papistas observandum. Ephes. 4, 5.

Ἐσθῆται, *stat et diu stetit*, immo coetui vestro interfuit in magno illo per desertum itinere. Act. 12, 14. 16.

v. 28. Βηθαβαρά, *domus transitus, aut traiectionis, ein Fahr-Haus*.

v. 29. ἄγνος, *agnus*,

1) antitypicus est Christus, qui per agnum paschalem in V.T. fuit praefiguratus, et in typis mactatus. Apoc. 13, 8.

2) ἄρῶν, *tollens*, i. e. 1. per imputationem passivam in se suscipiens. 2. *ferens*, i. e. poenas illorum luens. 3. *auferens* e conspectu fori divini, i. e. auferens, in *justificatione* ratione reatus et imputationis, Rom. 9, 10. in *sanctificatione* ratione dominii, Rom. 6, 12. in *morte* autem ratione inhabitationis. Rom. 6, 7.

3) mundi seu omnium hominum, quorum omnium peccatis satisfecit, 1. Ioh. 2, 2. Ergo perperam dicunt Calviniani, ipsum sustulisse tantam peccata electorum.

v. 31. Οὐκ ᾔδειν, *non cognoveram illum, nimirum de facie*. Ioannes, antequam Christus baptizaretur, non viderat ipsum, itaque

itaque de facie non noverat eum, etiamsi sciverat, ipsum fore Deum et hominem, idque de ipso testatus erat Matth. 3, 2. Cum autem ad baptismum veniret, ipsi revelabatur hunc esse Christum.

v. 32. Τὸ θεῶν, vidi; Non solus quidem Iohannes vidit columbam, solus tamen vidit ex revelatione divina, sub columba latere Spiritum sanctum, et in Christo manere Io. 3, 34. Ies. 11, 1. sqq. 61, 1. sqq.

v. 33. Ἐν ὕδατι, Spiritu sancto baptizat Christus. Calviniani inde concludunt, dari duos baptismos; externum, seu aquae, qui fiat per ministrum, et internum, seu Spiritus, qui fiat a Christo, sed falso, unus est baptismus Ephes. 4, 5. ad quem Christus principaliter concurret; minister ecclesiae autem ministerialiter Tit. 3, 5. Christus virtute propria tribuit Spiritum sanctum, minister autem virtute verbi evangelici Matth. 28, 30. Marc. 16, 20.

v. 34. Μετατέθηκα, testatus sum, cognovi quod Iesus sit Christus, atque etiam testificatus sum: nam hoc testimonium Iohannis baptistae reliqui evangelistae non adduxerunt.

v. 35. Ἐστῆκεν, stabat Iohannes, et expectabat populum venientem ad baptismum, paratus illos excipere. Nam stare significat paratum esse ad faciendum officium Ephes. 6, 14. Habac. 2, 1.

v. 37. Μαθηταί, discipuli duo, nempe Christi, audiebant Iohannem de Christo loquentem, adeoque incitabantur, ut Christum sequerentur, ejusque discipuli fierent. Nam quod Iohannis discipuli fuerint, nunquam legimus.

v. 39. Πῶς μένει; ubi manes? scilicet in hospitio? nam hoc fiebat ad Jordanem, ubi Christus fuerat baptizatus, cum alias habitaret Capernaumi, Matth. 9, 1.

C

v. 40.

v. 40. ἀκούσαντων, qui audiverant ex Iohanne testimonium de Iesu, forte prima vice v. 29. nam secunda vice v. 36. non videtur adfuisse.

v. 41. Ἐνεκαυεν, invenimus, h. e. adepti sumus jam Christum, qui in mundum venit, homo factus v. 14.

v. 42. Κληθήσῃ, vocaberis Petrus. Pontificii ex hac nominis mutatione colligunt, ipsi primatum in ecclesia fuisse destinatum, sed absque causa; nam

- 1) Nomen Petri jam ante fuerat ejus cognomen, Matth. 10, 2.
- 2) Omnes Christiani debent esse Petri seu Christo tanquam Petrae supraedificati. Matth. 16, 18.

v. 43. Ἐπίσῃ, invenit, i. e. occurrebat illi.

v. 44. Πόλεως et ἀνδρῆς ex civitate Andreae; non quod Bethsaida ad Andream pertinuerit, sed quod ipse in illa habitaret, sicut Capernaum civitas Christi vocatur Matth. 9, 1.

v. 45. ὃν ἔγραψε Μωσῆς, quem, sive de quo scripsit Moses Gen. 49, 10. coll. Dan. 9, 24.

1) Moses scripsit de Messia, et implicite dixit, illum fore Iesum Nazarenum, Mariae filium. Vid. Gen. 3, 15. Deut. 18, 18. De gradibus promissionis Messiae in V. T. differit IO. FRICKIUS in *demonstr. divin. Christi* p. m. 9. sqq.

2) Iesum autem esse illum Messiam, colligit ex circumstantiis temporis, et ex testimonio Iohannis, de quo audiverat.

v. 46. Δύναται; potestne tam excellens bonum, quale est Messias, venire ex Nazareth civitate Galilaeae, quae partim referta est gentilibus et idololatria, Matth. 4, 12.

v. 47. Ἐν ᾧ δόλος ἢ ἡ δόλις, in quo dolus fraus, calliditas, et simulatio non est. Vox δόλος non est Romana, sed mere Graeca, descendens a Verbo δόλω, inesco, et a LXX. Interpret. saepissime jam adhibita. Pelagiani ex hoc loco colligebant, homi-

hominem in hac vita perfecte sanctum fieri posse; sed falso: non enim dicitur, quod peccatum in eo non fuerit, sed quod absque dolo, fraude et hypocrisis fuerit, adeoque sincere et candide Deum coluerit.

v. 48. *Ἰδὼν σε*, vidi te, absens absentem, per omnipraesentiam meam et omniscientiam Ioh. 3, 25. Col. 3, 9.

v. 49. *ὁ υἱός*, filius cum articulo *der Sohn*, scilicet unicus, unigenitus et essentialis, praeter quem nullus est alius Psalm. 2, 7. Prov. 8, 22. 23. qui debebat esse rex Israelis 2. Sam. 7, 12. Malach. 4, 2. Ies. 9, 6. 7. De adpellatione *Rabbi* conferatur celeb. ANDR. GE. WAEHNERVS in *Antiqu. Hebr.*

v. 51. *ἀπερῳγῶτα*, aperiens pro apertum seu aperiens sese:

1) Id factum est virtute meriti Christi Ioh. 14, 2. Gen. 28, 12. coll. Luc. 22, 43. et 24, 4.

2) Cujus virtute et merito etiam angeli ministraturi fidelibus adscendunt et descendunt, Hebr. 1, 14. et quidem

3) super filium hominis, et in eo, omnipraesente, in quo sunt omnia, quae sunt Eph. 1, 21. 22. Col. 1, 17. sicut omnia in Deo sunt et moventur Act. 17, 28. I. C. H. cum meis additamentis. *Videbitis me mira opera edere virtute divina, in quibus mihi angeli ministraturi sunt: et per me electis adscensus in coelum patebit.* Sic IOANNES PISCATOR.

CAPVT II.

v. I.

Tertia die, postquam Christus a Jordane discesserat cap. I. v. 43. I. C. H.

v. 2. *Μαθηταί*, discipuli Christi, nempe numero quatuor, Andreas, Petrus, Philippus et Nathanael; praeter quos tunc non videtur habuisse alios, illos autem elegerat c. 1. I. C. H.

C 2

v. 4.

v. 4. Τι ἰμοὶ καὶ σοὶ; quid mihi tecum scil. negotii est? quid mihi vis imperare in officio meo prophetico, aut praescribere? nam

1) Maria volebat Christo horam auxilii praescribere, gnara eius omnipotentiae. Conf. celeb. HOHEISELII Prof. Gedanensis, comment. in h. l.

2) tempus ipsi certum audebat praescribere exeundi cum discipulis; quo ipso peccabat maxime. Qua in re Pontificii ipsam excusare volunt, sed absque successu. Certe ex hoc loco et Luc. 2, 43. sqq. elucet Mariam peccata actualia commisisse.

v. 6. Κεῖσά καὶ θάραξι μὲν, secundum purgationis ritum, hoc est, ad purgationem, aut lotionem Judaeorum. Nam Pharisei quoties ex foro, aut ab alio negotio, revertebantur, antequam ederent, lavabant manus, Marc. 7, 3. et 4. itaque ibi publice erant expositae. *hydriae* (*Wasser-Tröge*) seu ampla vasa lapidea. Conf. D. IO. IAC. RAMBACHII Hermen. sacr. P. 193. sqq. editionis primae.

Μετρητὰς, *mensuras*, nempe Atticas, quae majores erant, et singulae continebant duodecim nostrates mensuras. Ita hydria comprehendebat triginta sex mensuras nostrae mensurae, i. e. secundum mentem D. ZELTNERI zwey oder drey Eymen. Conf. de mensuris Hebraeorum celeb. D. CONR. IKENII Antiqu. Hebr. p. m. 444. sqq.

v. 8. Ἀντλήσατε, haurite ex hydriis illis, unde adparet, has fuisse magna et capacia vasa, quae nemo loco movere poterat, praesertim cum essent lapidea aut ex lapidibus excisa.

v. 9. Ἀρχιτρίβλων, convivii praefectus, qui omnia ordinabat, dapes et potum distribuebat, hospites suis locis collocabat, et ordinem praescribebat.

v. 10. Μεθυθασί, inebriati fuerint: verbum Graecum non significat proprie inebriationem, sed saturationem: sensus ergo est: quando biberint ad satietatem. Non ergo h.l. inebriatio seu crapula proaeretica vel laudatur, vel excusatur. Conf. Hagg. 1, 6. Gen. 43, 34. Cant. 5, 1. (Pl. 58, II. apud Septuaginta Interpret.

v. 11. Τὴν ἀρχὴν, initium seu principium miraculorum suorum, hoc fecit Christus, secundum vaticinium Ies. 9, 1. Primum in aqua patravit h.l. miraculum, et quoque ultimum Io. 21, 1. sq. Itaque ante hoc nullum fecit miraculum, quod tamen volunt Pontificii. Et si mirabilia fecit, ut cum quadraginta dies jējunavit, Matth. 4, 1. absens vidit Nathanaelem Ioh. 1, 49.

1) haec non sunt proprie dicta miracula,

2) non sunt facta coram populo.

Τὴν δόξαν, gloriam, i. e. divinam omnipotentiam, omniscientiam et dominium in res creatas. Ioh. 7, 14. Rom. 6, 4. ac regiam suam potestatem in regno naturae.

v. 13. Τὸ πάσχα, hoc primum fuit pascha, postquam Christus ministerium suum exorsus est, quo, adhibitis flagellis templum repurgavit, idem fecit alio tempore, sed absque flagellis, Matth. 21, 12. 13. Marc. 11, 15. In hoc actu magnum miraculum effecit: nam id peregit, ut omnes fugam partim capesserent, partim perterriti nec manus nec pedes movere possent.

v. 14. Κερατιαίς, nummularios, qui nummos majores minoribus non sine turpi foenore permutabant. Dicuntur

v. 15. Κολλοβισαί, et ideo sedebant in atrio templi, ut pecunias minutas suppeditarent emendis pecudibus sacrificialibus.

v. 16. Οἶκος ἐμπορίας, domum mercaturae ne facite domum meam, quae tota erat destinata cultui divino. Peculiariter atrium

gentium erat structum, pro gentilibus, ut ibi adorarent Deum I. Reg. 8, 41. Sed Judaei ibi merces exponebant venales, praecipue pecudes, concedentibus summis sacerdotibus lucri causa.

v. 17. ὁ ζήλος, *zelus, fervor domus tuae, i. e. pro domo tua.* Conf. celeb. BRINCHII philol. sacra p. 106. nr. 2. Verba defunta sunt ex Psalm. 69, 10. qui totus est querela Christi propter passionem suam, quae ipsi obtigit propter zelum pro domo Dei, seu ecclesia. *Devoravit, i. e. occasionem ad me occidendum praebuit.*

v. 18. ἀπεκρίθησαν, *respondabant, nempe verbis Christi v. 16. prolatis, ὅτι, quod haec faciat, nempe jure et divino jussu. Deus enim solus potestatem habet, templum reformandi, et statuta Pontificum abolendi.*

v. 19. Λύσατε, *solvite, seu destruite, pro destruitis templum, i. e. corpus meum, in quo Deitas ceu in templo habitat Col. 2, 9. Non est dubium, Christum haec dixisse, manu ad pectus admota.*

Ἐγερῶ, *suscitabo corpus meum, nempe propria virtute resurgam Ioh. 10, 18. Sociniani vehementer urgentur his verbis, cum negant, Christum sua virtute resurrexisse, itaque haec verba varie torquent. De resurrectione Christi tertia die typos et vaticinia collegi in *bist. pass. et exalt. I. C.* at controversiam de ea a IO. HENR. DRUMMELIO motam excussi in *Theol. Cur.* p. 38. 39.*

v. 20. Τσσαράκοντα, *quadraginta sex annis aedificatum est hoc templum, secundum nempe, post captivitatem Babylonicam a Zerubabele exstructum, Esrae 5, 5. quod jussu Cyri erat inceptum, sed mox impeditum, usque in annum secundum Longimani, quo fuit absolutum. Hi sunt anni quadraginta sex. Vid. D. LVTHERI praefat. in Dan. cap. 9. D. WAL.*

WALTHERI harm. Bibl. in h. l. Add. D. FRID. AD. LAMPPII commentat. in Ioann. ad h. l.

- v. 22. ὅτι ἠγέρθη, quando excitatus erit,
 1) non contradicit v. 19. ubi dicitur Christus resurrecturus aut semet ipsum excitaturus.
 2) Christus homo propria virtute, sed secum communicata resurrexit; sed idem, secundum proprietatem humanae naturae spectatus, resuscitatus est. I. C. H.
 Τῆ γραφῆ, scripturae credebant, nempe Pf. 16, 10. 8, 6. 7. 110, 7. Ier. 53, 8. fin. et verbo Christi Luc. 24, 46.

v. 24. Γνωσκῆν, cognoscere. Hoc est divina omniscientia cum humana natura Christi communicata, qua Christus cognoscebat omnes praesentes homines, et omnium hominum cogitationes pariter atque adfectus. v. 25. Erat autem Christus in officio Propbetico constitutus, quod ad utramque naturam pertinet. Psalm. 7, 10. 139, 1. 2. I. Sam. 16, 7. Ier. 11, 20. 20, 12. Luc. 16, 15.

CAP. III.

v. I.

Ἀγῶν, princeps, nempe doctorum, vel primarius doctor inter Israelitas (vid. v. 10.) et adfessor summi synedrui. Totam hanc pericopen eleganter illustrat celeb. D. CHRIST. SIGISM. GEORGI, Theol. Wittenbergensis, in cap. II. dissert. de officio ad ecclesiam unico, 1749. editae. De emblemate venti ad v. 8. videatur IO. VAN DEN HONERT, Theol. Emblem. p. m. 195. seq.

v. 2. ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ, Deus cum ipso,

- 1) intelligit, quod Deus peculiariter sit cum Christo, Io. 10, 30. ut et miracula facere possit, et sublimissimam de Deo habeat scientiam.
 2) est

2) est locutio elliptica, in qua quaestio: *quid sit regeneratio* ? omittitur, quod constat ex Christi responsione v. 3.

v. 3. ἄνωθεν, *desuper*, i. e. ex operatione Spiritus sancti debemus renasci, vel de novo, et iterum, post natiuitatem naturalem etiam supernaturaliter debemus renasci.

ἰδεῖν, *videre regnum Dei*, i. e. consequi aut ingredi in regnum Dei, ut explicatur v. 5.

v. 5. Ἐξ ὕδατος, *ex aqua et Spiritu debemus regenerari*, h. e. per baptismum, qui constat aqua et verbo evangelii, quod dicitur *Spiritus*, quia per illud Spiritus sanctus datur Ioh. 6, 63. Galat. 3, 2. Tit. 3, 5. Qui baptismum profelytorum Iudaeorum h. l. respiciunt, falluntur: quippe qui a celeb. viris, GOTTL. WERNSDORFIO, G. G. ZELTNERO, et IOACH. LANGIO, dudum explosus est. Loquitur autem Christus h. l. de eo, quod ordinarie fieri debet; nam extraordinarie etiam absque baptismo potest fieri regeneratio infantum. Conf. D. WALCHII dissert. *de fide infantum in utero matris*. Adulti regenerantur per verbum Evangelii Iac. 1, 18.

v. 6. Σάρξ, *cavo*, i. e. *carnalis*, seu peccato originali infectus est omnis homo, quatenus a parentibus suis natus. Pf. 51, 7. Rom. 8, 6. 13. *Spiritus* autem seu *spiritualis*, quatenus renatus est ex Spiritu sancto 1. Ioh. 3, 19. 1. Cor. 6, 11.

v. 8. Τὸ πνεῦμα, *ventus*, miras operationes edit, sonitum mempe emittit et frugum terrae producit incrementa; ita et Spiritus sanctus facit, ut agitemur iustus in corde, fructus fidei proferamus, et eloquamur Dei gratiam ac gloriam. Pf. 51, 12. et 116, 2. Celeb. D. HEVMANNVS ita vertit: *Cum πνεῦμα naturalis naturam non cognoscas, et fatearis, te auribus percipere sonum venti, sed, unde oriatur et quo tendat, te ignorare: quid mirum? tibi ignotum esse modum, quo Spiri-*

Spiritus S. operatur, sive modum nativitatis e Spiritu. Ignoramus quoque, quamdiu durer flatus sonitusque venti. Sic quoque ignoramus praecisam periodum et horam, qua Spir. S. conversionem et regenerationem in nobis operatus est. Vid. *Theol. mea Dogm.* p. 232. Conf. D. CHR. SIG. GEORGII diff. in h. l. p. 39. sq. Cohel. 1, 6. Ier. 49, 32.

v. 10. Ταῦτα, haec non nosti? scilicet quo modo per verbum Dei fiat regeneratio, seu conferantur novae vires credendi. 1. Petr. 1, 23. Ies. 31, 33. cum tamen dogma de spiritali regeneratione etiam in V. T. sit revelatum. e. g. Pf. 51, 12. et 110, 3. Ezech. 11, 19.

v. 11. Ἀλαῶμεν, loquimur, scilicet ego, Pater meus, et Spiritus S. quae tres personae ad regenerationis et sanctificationis opus concurrunt, 1. Ioh. 5, 7. Ioh. 14, 23. Errant, qui putant, nos loquimur, idem esse, ac: ego et Ioannes baptista.

v. 12. Ἐργία, quae in terra fiunt, e. g. baptismi administratio et operatio, nimirum regeneratio, quae illustratur exemplo venti et eius operationum 1. Ioh. 5, 8. Quibus opponuntur ἐνεργία coelestia, quae nullis rerum humanarum comparationibus illustrari possunt, ut: mysterium Trinitatis, missionis filii Dei in carnem, atque incarnationis, item praedestinationis, et quae aliquando in coelis fiunt.

v. 13. οὐδεὶς, nemo ascendit in coelum, nempe propria virtute, et proprio merito: nam Enochus et Elias illuc evecti sunt virtute Dei. Christus autem propria virtute descendit, dum adsumsit humanitatem, et vicissim propria virtute ascendit, Ioh. 20, 17. qui est in coelo, i. e. ubique secundum utramque naturam, divinam per se, humanam communicative: ita, ut usu communicatae omnipraesentiae nunquam sese abdicaverit; quippe qui fini status exinanitionis non adversabatur.

Conf. IO. CHR. PFAFFII et CHR. MATTH. PFAFFII
dissertationes in h. l.

V. 14. ὑψωθῆναι, exaltari oportet Christum, nempe in
crucem, ubi pro nobis satisfecit, et nobis promeruit rege-
nerationem et omnia spiritualia bona, quae credentes impe-
trant; sicut, qui intuebantur serpentem aeneum, sanitatem re-
cuperabant. Num. 21, 8. et 9. Refutantur ex hoc dicto IO.
d^o ESPAGNE, FRANC. BYRMANNVS, et CAMP. VITRIN-
GA: qui negarunt, serpentem aeneum fuisse typum Christi
in crucem exaltati. Conf. celeb. PRAETORII amoenit. Bibl.
in Numer. 21. et D. RAMBACHII Hermen. Sacr. p. 189. sq.
edit. primae.

V. 16. ἠγάπησεν, dilexit Deus mundum, ductus infinita mi-
sericordia, non absque fundamento et absolute, sed ex certo
quodam fundamento et respectu, nempe intuitu Christi, qui
legem implere et iustitiae Dei satisfacere debebat, Rom. 10, 6.
ἄνω est particula, index ineffabilis et inexplicabilis admirationis.

κόσμον, mundum, i. e. omnes homines, non electos tantum,
ut volunt Calviniani. I. Tim. 4, 10.

V. 17. ἵνα κρίνη, ut iudicet; h. e. ut condemnet mundum; sed
peccatis haerentem, non est missus filius Dei in carnem; in
ut illum redimeret a peccatis et salvaret. Missus tamen est,
ut argueret, et convinceret eos de peccatis suis; quod alias
κρίνειν significat Ioh. 16, 13. Distinguendum est inter officium
Christi sacerdotale, cuius est salvare: et Propheticum, cuius
est arguere: et Regium, cuius est donare. Act. 10, 42.

Ὁυ κηρύσσεται non condemnatur: neque peccata eius in ju-
dicio extremo publicabuntur. Vid. Theol. mea Dogmat. p. 328.
edit. quartae.

Τὸ ὄνομα, nomen, i. e. Christum ipsum. Frequenter enim
in

in Scriptura Sacra nomen ponitur pro re ipsa. Philipp. 2, 9.
ad Eph. 1, 21.

v. 19. Ἡ κρίσις, iudicium, ponitur *synecdochice*, genus pro specie, nempe pro iudicio condemnatorio.

2) *metonymice*, effectus pro causa, i. e. haec est causa condemnationis, contentus evangelii, seu Christi.

Πονηρά, mala opera, i. e. ex malitioso habitu et consuetudine perfecta. Nam qui morose et contumaciter malus est, non audit Christum, et veritatem impedit. Rom. 1, 18. Ier. 13, 23. tales erant praecipue Pharisei et Scribae.

v. 20. Φαῦλα, improba vel mala faciens ex consuetudine et obduratione, odio habet Christum, conf. 1. Ioh. 3, 6. et 9. Est ergo impia faciens peccator contumax et induratus.

v. 21. Ποιῶν τὴν ἀληθειαν, faciens veritatem, i. e. secundum veritatem, seu credens in Christum, conf. Ioh. 1, 17. cap. 6, 29. Id enim est facere secundum evangelium, quod est veritas. I. C. H. Clarissimo BRINCHIO lib. cit. p. 20. idem est ac ποιῶν δικαιοσύνην, faciens iustitiam, i. e. iustitiam fidei per iustitiam vitae demonstrans.

Ἔρχεται, venit, i. e. frequenter ad Christum venit, ipso delectatur, et ipsi adhaeret; tandem in coelis ad ipsum venit, et in perpetuum apud eum permanet.

Ἐν Θεῷ, in Deo sunt opera, quae proveniunt ex gratiosa ejus unione et cooperatione Ioh. 15, 5.

v. 22. Ἐβάπτισε, baptizabat, i. e. curabat baptizari per discipulos suos: nam ipse non baptizabat, Ioh. 4, 1. 2.

v. 25. Ζήτησις, quaestio inter Ioannis discipulos et Judaeos oriebatur, de vera animae purgatione et mundatione a peccatis. De qua David Ps. 51, 12. Conf. 1. Ioh. 1, 7. cum Judaei tantum

tum externam purgationem habuissent, quae in variis lotionibus consistebat.

v. 27. ἄνθρωπος, homo non potest, i. e. nemo potest sibi sumere munus publicum, idque cum fructu administrare; nisi ipsi sit datum coelitus. Quia autem Christus tanto cum successu praedicat et baptizari curat, et indicat, ipsa a Deo vocatum esse ad hoc officium. Quod notandum contra Socinianos et Anabaptistas, qui vocationes ad ministerium spernunt.

v. 28. ἀπεσταλμένον, missus sum ante ipsum, vel ab ipso praemissus Ioh. 1, 20. itaque Christus est verus Deus, potestatem habens mittendi Ioannem.

v. 29. Νύμφος, sponsus est ille Christus Hof. 2, 19. 20. Cantic. tot. Salomonis, et Eph. 5, 30. Φίλος, amicus sponsi est quilibet vere fidelis, qui laetatur ob felicem evangelii successum.

v. 30. ἄξάνειν, crescere oportet Christum, fama, gloria, regni dilatatione, per totum orbem Matth. 28, 19. Ioannem oportet decrescere, dum opinio, quasi ipse sit Christus, debet aboleri.

v. 31. ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, qui est ex terra, i. e. merus homo, ut Ioannes etiam humana tantum novit, et loquitur, nisi divinities illuminetur; at Christus ex coelo venit Θεάνθρωπος, inde nobis coelestia loquitur, Matth. 11, 27.

v. 32. ὁ ἑώρακε, quod vidit Christus. Ita more humano de Christo loquitur Ioannes, quod more divino est intelligendum, i. e. qui novit omnia, ex sinu Patris nobis adnunciat salutaria, Io 1, 18.

v. 33. Ἐσφράγιστος, obfirmavit, i. e. ex testimonio Christi certo et omni dubii experte concludit atque convincitur, quod Deus sit verax.

v. 34.

v. 34. Ὁ ἀνέταλι, quem misit Deus, nempe singulari modo, ad redimendum genus humanum, Io. 3, 16. 17. filium unigenitum Io. 1, 14. *οὐκ ἐκ μέτρος, non ex mensura*, i. e. non secundum certum modum aut mensuram, ut aliis hominibus, Pf. 45, 8. 1. Cor. 12, 12, sed supra omnem modum, infinitam scientiam et potentiam dat, Pf. 45, 8. omnes thesauros sapientiae et cognitionis tribuit Christo. Coloss. 2, 3. et 9. Vnctionem Christi secundum hum. nat. per Spir. S. non differre a communicatione idiomatum, contenderunt nuper, IO. CHR. TRAVTERMANNVS et IO. HENR. HERRIVS, eam vero differre adferuerunt, D. IO. GE. WALCHIVS (alleg. Luc. 2, 11. Matth. 3, 16. Act. 2, 33.) et IO. MICH. SCHORCHTIVS ductum D. IO. FRANC. BVDDEI fecutus. Meam sententiam exposui in *Theol. Curiosa* pag. 13. 14.

v. 35. Πᾶσα, omnia Pater dedit filio, nempe secundum humanam naturam spectato, Math. 28, 18. omnia, quae in regno potentiae, gratiae et gloriae existunt; 1. Cor. 15, 27. unde adparet, quod omnia idiomata divina cum humanitate Christi sint communicata. Conf. *Theol. mea Dogmat.* p. 18. sq. et n. ca. *Theol. Curios.* p. 34. 35.

v. 36. Ὁὐκ ὄψεται, non videbit, i. e. non impetrabit homo incredulus vitam aeternam, sed ira Dei, cui per naturam subest, (Ephes. 2, 2. 3.) manet super illum. Ergo ab ira Dei liberari posset, si crederet: et Christus ipsi quoque gratiam Dei meritis est 2. Cor. 5, 14. 15. Conf. *Theolog. mea Polemica* p. 277. sqq.

C A P. IV.

v. I.

Ἦ^υσαν, audierunt Pharisei, cum maxima scilicet indignatione, quod Iesus doceret, discipulos adsumeret, et

D 3

bapti-

baptizaret, cum tamen non esset ex tribu Levi, cui docendi munus adsignatum erat. Deut. 33, 10. Mal. 2, 7. Quapropter Iohannem tolerabant, quia ex tribu Levi erat. Luc. 1, 5. sqq. Hinc insidiabantur Christo; ipse autem discedebat ex Judaea.

v. 3. Ἀφῆκε, reliquit, deseruit Christus Judaeam, ubi ipsam persequerentur Pharisei. Conf. D. IO. REINHARDI RV-SII dissert. de Judaea miraculis Christi clara. Abiit in Galilaeam, ubi minus frequentes et minus potentes erant Pharisei, et Herodes plus indulgebat doctrinae Iohannis et Christi, quam Pilatus Hierosolymis. Vid. D. IO. FR. BVDDEI diss. de Galilaea miraculis Christi clara.

v. 4. Διέειχθεσται, transire debebat Christus Samariam, si scilicet recta via in Galilaeam reverti vellet.

v. 5. Σιχημ, vocatur alias Sichem, urbs, quam filii Jacobi gladio eripuerant Ammonaeis Gen. 33, 18. 34, 25. et postmodum Jacobus, cum benediceret Iosepho, huic donabat. Gen. 48, 22.

v. 6. Κενωτικὸς, defatigatus, labore itineris confectus, quia in statu exinanitionis erat instar aliorum hominum, (Theol. mea Dogm. p. 177. sq.) talisque reperiebatur Philip. 2, 7.

v. 8. Τροφῆς, cibos emuri erant discipuli a Samaritanis: Christus eos non averfabatur, ut Judaei: et cibus ab omnibus gentibus sumi potest, quia ad alendum corpus, non ad religionem, pertinent. Rom. 14, 17. I. C. H.

v. 9. Συγγρησται, contuntur, conversantur; Judaei non conversantur cum Samaritanis

1) familiariter, ita, ut cum ipsis comedant, et cultum sacrum frequentent, etsi cibum ab ipsis emere licebat.

2) ratio erat, quia Samaritani confusionem Judaismi et Gentilissimi

filii admiserant. 2. Reg. 17, 24. sqq. I. C. H. De odio inter Judaeos et Samaritanos videatur IKENIVS in Ant. Hebr. p. 41. 42.

v. 10. Δωρεάν, *donum Dei*, i. e. *Christum*, qui est praecipuum Dei donum. Ies. 9, 6. Io. 3, 16. Rom. 8, 32.

v. 12. Μείζων, *major, melior et sanctior*, quam Jacobus Patriarcha, qui nobis reliquit hunc puteum aquae vivae aut scaturientis Gen. 26, 17.

v. 14. Πηγή ὕδατος, *fons aquae salientis in vitam aeternam*. Locutionem πηγή ὕδατος, (*aquae salientis*) inter Latinismos retulerunt, IOAN. OLEARIVS, IO. ERHARDVS KAPPIVS, et CHRIST. LVDOV. SCHLICHTERVS. Intelligitur *justitia Christi*, et *Spiritus sancti dona*, quae valent ad salutem aeternam consequendam; unde tamen non sequitur, quod credentes non possint excidere fide et gratia, quod Calviniani inde colligere volunt. Ies. 12, 4. 44, 3. Joël. 3, 1. Io. 7, 38.

v. 18. Οὐκ ἴσιν ἀνήρ, *non est vir tuus aut maritus legitimus.*

1) vel fuit ipsa tantum concubina alicujus viri, vel meretrix, postquam a quinque viris fuit repudiata Deut. 24, 1.

2) vel non fuit marita *jure filiorum Jacobi*, sed tantum *jure filiorum Noae*. Illud jus erat, quo ex eadem tribu orti copulabantur; hoc autem, quo vel ex diversi tribubus, vel ex aliis gentibus nati jungebantur. Illud jus erat Israelitis proprium, secundum legem Mosaicam; hoc autem etiam aliis populis commune, secundum jus naturale. De quo videatur celeb. IO. SELDENVS in *uxore Hebraica*.

v. 20. Ἐν τῷ ὄρει τῷ ὄρει, *in hoc monte, i. e. in monte Charizim*, in quo benedictio fuerat proclamata, cum populus in

in terram Canaan esset introductus Deut. 27, 12. Ies. 8, 33. In qua Samaritani exstruxerant templum, ubi Deum adorarent, sed cultu idololatrigo, contra mandatum Dei Deut. 12, 5. 16. Errores Samaritanorum recenset celeb. D. IKENIVS lib. cit. p. m. 41. §. 14.

V. 22. ὅτι οὐκ οἴδατε, quod nesciitis, illud adoratis, i. e. adoratis Deum, sed quem non recte cognoscitis; neque verum ejus cultum nostis, qui ritus gentilitios cum divinis confunditis 2. Reg. 17, 29.

ἡ σωτηρία Salus est ex Judaeis, quia

1) Salvator ortus erat ex tribu Juda, Gen. 49, 10.

2) Evangelium ex tribu Juda in totum terrarum orbem diffeminabatur Luc. 24, 47. Ipsemet Salvator se σωτηρίαν adpellat (Luc. 2, 30.) Ideo celeb. IO. GE. SCHELHORNIVS etiam I. Petr. 1, 9. per σωτηρίαν (metonymice effectu posito pro causa efficiente) Christum intelligi vult, in *Bibl. Brem.* tom. 4. p. 782. sqq.

V. 23. Ἐν πνεύματι, in spiritu et veritate adorant Deum veri adoratores. Non sicut fideles in V. T. qui adorabant in Spiritu, seu typo, seu templo Hierosolymitano, quod erat typus ecclesiae N. T. per totum orbem dispergendae, quae est veritas seu vera ecclesia. Hebr. 9, 24. I. C. H.

Ἄλλοθενεε dicitur de seriis et sinceris Dei cultoribus, inquit celeb. BRINCHIVS l. c. p. 19.

V. 24. Ἐν πνεύματι, in Spiritu adorandum, h. e. ex fide vera, sinceritate, candore, serio sine facio adfectu (Vid. BRINCHII philol. sacr. p. 18.) quae operatur in nobis Spiritus S.; non autem praecise in templo Hierosolymitano, ut in V. T. neque in locis, ubi sancti martyres sunt passi; aut ubi ipsorum reliquiae adservantur; ut existimant Pontificii, et credunt,

dunt, in illis locis preces esse efficaciores, et a Deo facilius exaudiri. Nam oratio nullis certis locis alligari potest. v. 21. I. Tim. 2, 5.

v. 25. Μεσσίας, Messias venturus est. Poterat hoc mulier Samaritana scire ex Gen. 3, 15. 49, 20. et Deut. 18, 18. et forte audiverat etiam quaedam de Judaeorum opinione, quod tempus Messiae jam instet.

v. 27. Ἐθαύμαζαν, mirati sunt discipuli, quod Christus loquatur cum Samaritana, a qua ipsi abhorrebant, tanquam Judaei. Christus eis praecipiebat a praedicando Samaritanis evangelio abstinere, Matth. 10, 5. quia prius Judaeis praedicandum erat. Sed colloquium Christi erat actus particularis et extraordinarius.

v. 29. Πάντα, omnia quae feci, dixit. Necessse est igitur ipsum esse omniscium; cum autem sit verus homo, necesse est, ipsum quoque esse verum Deum. Credidit ergo, Christum fore Θεόν θεῶν. Vnde adparet, hanc tunc temporis fuisse promulgatam sententiam v. 25.

v. 31. Μετὰ τοῦ, interim, dum digressa Samaritana, Christus erat solus.

v. 32. Βρώσω, cibum habeo comedendum, nempe voluntas patris mei peragenda est, et homines morte mea redimendi. Nam obsequium erga Dei voluntatem optimum est nutrimentum, quod benedictionem habet adjunctam, sicut Christi passionem secuta est gloria. I. Petr. 1, 11.

v. 34. Τελειώσω, perficiam ejus opus, i. e. me ipsum imolem, aut sacrificem, pro hominibus moriendo Hebr. 2, 10. Luc. 13, 32. Nam Christus se ipsum sacrificavit Hebr. 9, 28. Fuit sacerdos et sacrificium.

v. 35. Ἐτι τετράμηνος, adhuc tempus quatuor mensium est, et venit messis. Nempe non ab eo tempore, quo Christus hoc

E

loque-

loquebatur, quod fiebat brevi post paschatos festum, et imminente jam messe. Sed post factam sementem soletis dicere: sunt circiter quatuor menses, et venit messis. Messis in Canaane a dimidio *Nisan* ad dimidium *Sivan* protendebatur, et ab hordeo initium capiens in tritico desinebat. D. CONR. IKENIVS l. c. p. 580.

v. 36. *Σπείρων*, ferens et metens. Per illum intelliguntur *Prophetae V. T.*, qui vaticinando de Messia quasi seminarunt; per hunc autem *Apostoli*, qui digito demonstrant, Iesum esse Messiam, et sic ex universis gentibus messem metunt. Emblemate utitur Christus. Quod eleganter illustrat IO. VAN DEN HONERT in *Theol. Emblem.* p. 177. 178.

v. 38. *Ἐγὼ, ego misi vos.* Christus ergo est verus Deus, quia misit prophetas, et mittebat postmodum Apostolos. Act. 26, 22.

v. 42. *Ἀληθῶς, vere*, is est salvator mundi. Inde videmus, quod doctrina de redemptore hominum et reparatore iustitiae coram Deo nota fuerit Samaritanis; quanquam eadem adjunxerint persuasionem de regno mundano instaurando.

v. 44. *Ἐν πατρίδι, in patria* honorem non habet Propheta: quia omnes plebeji norunt initia ipsius vitae, et de ejus donis dubitarunt, quia ipsi non ad paria sapientiae culmina profecerant Marc. 6, 3.

v. 46. *Βασιλικός, regius*, nempe *minister*, regis Herodis.

v. 48. *Σημεῖα*, signa videre volebant illi homines et miraculis convinci (1. Cor. 1, 22. quod est incredulorum 1. Cor. 14, 22.) Quare ipsum reprehendit Christus, tanquam difficilem ad credendum, quod Christus absens quoque possit sanare, et ex mortuis revocare v. 49. I. C. H. Alii haec verba non reprehensionem esse judicant; sed ita vertunt:

nisi

nisi signa et miracula vidissetis, fortasse non credidissetis.

v. 51. Ζῆ, vivis, i. e. bene valet a morbo liberatus et incolumis.

v. 52. Κομψότερον, melius, elegantius. (Germanice: Mir ist ganz fein.) Ceterum ex hac pericopa sequens struitur syllogismus: Quicumque veram fidem accendit, auget, conservat atque confirmat: item terminum vitae humanae sua potentia prolongat; ille est verus Deus. Atqui Christus h. l. haec fecit. Ergo est verus Deus.

CAPVT V.

V. I.

Eορτή, festum erat: nempe paschatos, quod inde patet, 1) quia absolute festum dicitur quasi κατ' ἔξοχὴν, quo omnes Iudaei convenire tenebantur Matth. 26, 5. Luc. 23, 7. 2) quia insidias Iudaeorum effugit cap. 4, 3. unde non est credibile, illum statim in sequente Pentecostes festo illuc esse reversum.

v. 2. Ἐπὶ τῇ προβατιῇ, scilicet πόλη, ad ovilem, scil. portam: quae sic dicebatur, quia per illam pecudes sacrificiales adducebantur, et in piscina lavabantur Nehem. 3, 1. THOMAS BARTHOLINVS quidem naturalem quandam virtutem fanaticam lavacro Bethesdae tribuit; sed a IO. FRISCHMUTHO, SAL. DEYLINGIO, aliisque refutatus est.

Κολυμβήθρα, lavacrum natatorium, a κολυμβάω, nato, sic dictum, quia in illo oves sacrificiales lavabantur, sie wurden geschwemmet.

Πέντε σοάε, quinque porticus aut ambulacra habens, in quibus aegri poterant foveri, et dispositis lectis discumbere.

v. 4. Κατὰ καιρὸν, tempore suo, ut beatus Lutherus reddidit.

Frequenter id factum esse, tempore tamen incerto, colligitur ex tanta agrorum multitudine, qui ibi confluebant, et motum aquae exspectabant.

v. 6. *Κατακείμενον*, decumbentem. Praecipue usurpatur de iis, qui gravi morbo decumbunt Marc. I, 30. Act. 9, 33.

v. 7. *Βάλλη*, projiciat, injiciat. De se ita loquitur, cum claudus decumberet; alii vero, qui membris magis valebant, *κατέβαινον* descendebant.

v. 9. *Κεράβαρον*, lectulus, lectus vilis et portatilis, ein Saul Bettgen.

v. 10. *Οὐκ ἔστι*, non licet.

1) non licet die Sabbathi facere opera vulgaria et ad parandam vestem spectantia Exod. 20, 10.

2) licet tamen facere opera caritatis et necessitatis, quale erat hoc. Luc. 14, 4.

3) sciendum est, quod Sabbathum (ratione modi et diei) pertinuerit ad legem caerimoniam, adeoque nunc illa adeo rigorosa ejus observatio est abrogata. Matth. 12, 1. sq.

v. 13. *Ἐξέβησε*, declinaverat, et secesserat ex turba hominum,

1) quia non captabat adplausum et laudem hominum.

2) quia evitare volebat insidias et furorem Judaeorum, qui paullatim a nimio ardore erga ritus suos erant deducendi.

v. 14. *Μημίτι*, ne amplius etiam pecces, nam peccatum, praecipue luxuria juventutis, est causa morborum, miseriarum, et ipsius mortis Gen. 2, 46. Rom. 6, 23. 5, 12.

v. 15. Putant SEB. SCHMIDIVS et IO. JAC. RAMBACHIVS, hunc hominem ingratiſſimum malo consilio Christum Judaeis indicasse; ego vero existimo, eum benefactorem suum cum laudibus Judaeis patefecisse.

v. 16. *Ἐδίωκον*, perſequebantur. Verbum duplici sensu in Scriptura sacra usurpatur, 1) de

1) de hostili persecutione, cum de personis adhibetur Rom. 12, 14.

2) de diligenti studio, aliquid consequendi vel obtinendi, cum de virtutibus aut aliis rebus adhibetur. 1. Cor. 14, 4. Hebr 12, 14.

v. 17. Ἐως ἀγῆ, usque ad hoc momentum operatur pater meus, ab initio mundi, neque unquam cessavit a conservatione mundi et hominum, alendorum et sanandorum, ne sabbatho quidem: ergo nec mihi id potest vitio verti. Luc. 14, 5. Io. 9, 4. 14, 10. Sic quoque hoc comma explicat D. RAMBACHIVS in *Herm. Sacr.* p. m. 184.

v. 18. Ἰδιον, proprium patrem. Judaei recte colligunt ex v. 17.

1) Christum se dicere aeternum et essentialem Dei filium,
2) se praedicare Deo patri aequalem in potentia et regimine mundi.

3) negant tamen, Iesum esse Dei filium; de quo Psalm. 2, 7. et 110, 1.

v. 19. Οὐ δύναται, non potest facere. Nam filius per generationem a patre habet omnia, quae pater habet, et facit omnia, quae pater facit, excepta generatione. Itaque non à se, quasi separatus a Patre, sed a patre, i. e. communi cum Patre potentia, facit, quaecunque facit Gen. 19, 24. Nam eadem facit, quae Pater facit, ratione divinae naturae per essentiam, ratione humanae naturae per unionis personalis gratiam.

Τὰ ἅτα καὶ ὁμοίως, eadem et similiter Christus facit, quae pater:

- 1) eadem opera, omnia quae pater facit, excepta sola generatione filii;
- 2) similiter et eodem modo operatur, nempe propria et summa potestate, perinde atque pater.

3) Vnde contra Socinianos argumentamur: quicumque eadem et eodem modo, quo pater operatur, ille est verus et essentialis Deus. Atqui filius eadem etc. Ergo etc. De geminatione vocis *ἀμὴν* elegans exstat observatio apud CHR. STOCKIVM in Interpr. Graec. p.m. 157.

v. 20. Πάντα δέξασθαι, omnia monstrat, i. e. omnia filio dat,

1) per generationem ab aeterno essentiam, attributa, operationes in creaturas, ut et hic sit omnium dominus. Pf. 8, 1. sqq. idque secundum divinam naturam.

2) secundum humanam autem in unione personali et sessione ad dextram Dei Pf. 110, 1. Eph. 1, 20. et 21.

Μείζονα τῶν, majora his, i. e. majora opera, quam aquae in vinum commutationem, et miraculosam sanationem ipsi dabit; nimirum in statu exaltationis ipsi dabit regnum totius mundi Ioh. 3, 35. Matth. 28, 28. et potestatem suscitandi mortuos v. 21. et iudicandi v. 22.

v. 21. Οὓς θέλει, quoscumque vult, liberrima summaque potestate resuscitat tam filius quam pater.

v. 22. Κρίνει δόξαι, iudicat neminem pater, nempe

1) seorsim et excluso filio, sed in et cum filio;

2) visibiliter et in propria persona;

3) in assumpta humanitate: ita enim iudicare filii est.

v. 23. ἵνα πάντες, ut omnes honorent filium, sicut patrem.

1) ideo filius opus vere divinum praestat, dum resuscitat mortuos, eosque vel salvat vel damnat.

2) ut omnes agnoscant, filium et patrem esse unius ejusdemque essentiae, et utrumque eodem honore colant.

ὁ μὴ τιμῶν, non honorans filium, nec patrem honorat,

a) quia uterque eandem habet essentiam. 1. Io. 5, 7.

b) eadem opera faciunt in commodum et salutem hominum.

I. C. H.

v. 24.

v. 24. Μεταβέβηκε, transit ex morte in vitam,

1) qui haec verba credit, et filium tanquam patrem honorat:

2) ille jam habet vitam aeternam, fide nempe et spe. Eph.

2, 6. fide re ipsa, quia per illam tenet Christum. Phi-

lipp. 1, 21. spē autem, quatenus adhuc plenariam ex-

spectat gloriam Rom. 8, 28. 2. Cor. 1, 7. Ceterum κρείστος

h. l. idem est ac κατάκειστος, uti Matth. 23, 33. 1. Tim.

5, 24. 2. Petr. 2, 4.

v. 25. Νῦν ἐστὶ, nunc est illa hora (ad comm. 25-29. confe-
ratur IO. VAN DEN HONERT Theologia Prophetica p. 434.

sq. §. 87.)

1) nunc est hora, qua ex morte spirituali surgendum est
per fidem Eph. 5, 8.

2) aliquando veniet hora, qua surgendum ex morte cor-
porali, et sepulcra relinquenda v. 28.

v. 26. Ἐδωκε, dedit pater filio, ut habeat vitam in se ipso,
nempe

a) essentialiter, secundum Deitatem, per aeternam gene-
rationem. Pf. 2, 7.

β) personaliter et communicative, secundum humanitatem,
per unionem duarum naturarum Col. 2, 3. et 9.

v. 27. Ἐξουσίαν, potestatem dedit ipsi,

1) Christo secundum humanam naturam spectato, secun-
dum quam in tempore haec potestas dari poterat,

2) dedit pater seu communicavit, dum ipsi corpus et ani-
mam aptavit. Hebr. 10, 5.

3) potestatem iudicii faciendi, i. e. omnipotentiam, omni-
scientiam et omnipraesentiam, qua omnibus hominibus
simul se sistere, ipsorum totam vitam scire, et omnes iudica-
re potest. Ceterum ad hoc comma conferri potest D. IO.

DEUTSCH-

71

DEVTSCHMANNI *onomastica filii hominis mysteologia*,
Wittenbergae 1691. edita.

v. 28. Ἐν μνημείοις, *in sepulcris*, i. e. ubicunque fuerint quo-
ad corpus, Deus ipsorum recordatur, et corpora resuscita-
bit 1. Cor. 15, 42.

v. 29. Ἀγαθὰ ποιήσαντες, qui bona fecerunt,

a) non propterea quia bona fecerunt, ad vitam resurgent,
sed quia crediderunt in Salvatore, et Christi meritum
sibi adplicarunt, fidemque per caritatem demonstra-
runt, ad vitam resurgent.

b) Pontificii inde colligunt, quod propter bona opera sint
ad vitam resurrecturi; quasi dicatur, quia bona opera
fecerunt.

v. 30. Ἄπ' ἑμαυτοῦ, *a memet ipso*, tanquam a proprio, et a
Patris potentia diverso, nihil facio, sed sicut essentiam, per di-
vinam ab aeterno communicationem, a patre habeo, ita et o-
perationes. Quod verum est de divina natura, multo magis
autem de humana.

Καθὼς ἀκούω, *quemadmodum audio*, i. e. quemadmodum co-
gnosco et certo scio, per aeternam omniscientiam, ita iudico.
Cognosco autem exactissime, ergo et rectissime iudico. Ioan.
16, 13. 14. 15.

Τὸ ἐμὸν, *meam voluntatem*, ceu a Patris voluntate diversam,
i. e. voluntatem meri et peccaminosi hominis, qualem Iudaei
me iudicant, non facio. Neque voluntatem a voluntate pa-
tris separatam facio, quia cum patre unam essentiam habeo.
Io. 10, 30.

v. 31. Περὶ ἑμαυτοῦ, *si de me testarer*, seorsim a patre, ut me-
rus homo, qualem me vos petatis, meum testimonium esset
falsum. Ies. 53, 8. 9. 10. 11. Io. 14, 6. Sic falsum esset, me
operari idem, quod pater, si essem merus homo.

v. 32.

v. 32. ἄλλος, *alius*, nempe Pater, testatur de filio Matth. 3, 17. et cap. 17, 15. item Io. 12, 28.

v. 34. Μακροχρῆστος, testimonium ex adfectu quodam profectum, et hypocriticum, non recipio, ut vos putatis. Si Iohannes ita testatus esset, non reciperem. Quia autem vere testatus est, recipio ejus testimonium Io. 1, 19. *Testimonium ab homine hoc loco est, quod humano vitio laborat. Immo λαμβάνω h. l. est accipere studeo, ut Gal. 5, 4. διακρίθη δικαιωσθαι studetis et conamini.*

v. 35. ἠθελήσατε, volebatis gaudere; volebatis brevi tempore eum recipere, deinde ipsum repudiastis. Cum laetitia recepistis, immo pro Messia Ioh. 1, 20. sed mox iterum degnati estis.

v. 36. Μεῖζω, majus testimonium habeo, nempe testimonium patris mei ad Jordanem Matth. 3, 17. testimonium operum meorum, i. e. miraculorum, et operis redemptionis, mox perficiendi.

v. 38. Μένοντα, *manentem*, i. e. perseverantem, non habetis in vobis Dei sermonem. Inconstantes estis in fide; cum servandum sit verbum in corde fideli Luc. 8, 15.

v. 39. Ἐγενήθη, *sevit amini.*

a) *mandatum hoc est Christi per imperativum expressum: (vid. b. D. MART. CHLADENII institut. exeget. p. 37. RAMBACHII lib. cit. p. 654. BRINCHII lib. cit. p. 97. et celeb. D. DEYLINGII Obs. sacr. part. 1. obs. 34.)*

b) *ad omnes homines pertinens, qui per scripturam debent salvari; quod adjuncta promissio Christi confirmat. Vid. D. CHLADENII lib. cit. p. 230. sq.*

c) *quibus omnibus injungitur diligens investigatio sensus scripturae.*

d) *itaque male agunt Pontificii, dum lectionem scripturae*

folis clericis vindicant. Vid. b. D. CHRIST. LOEBERI
diff. de omnibus concedenda scripturae sacrae lectione.

Δουέτε, *judicatis*, persuasum habetis, et certo scitis. 1. Cor.
7, 40. 10, 12. sed tamen negligitis obsequium, neque ve-
nitis ad me v. 40. add. cap. 6, 36. 1. Tim. 4, 13.

v. 41. οὐ λαμβάνω, non recipio laudem et gloriam homi-
num, non adfecto, non desidero aut capto, quemadmodum
Pharisaei v. 44.

v. 43. ἄλλος, *alius*, Pseudo-Christus, qui non a Deo vo-
catus aut missus, sed proprio motu et auctoritate venerit.
Quales fuerunt multi Pseudo-Messiae, quorum indicem exhibet
celeb. I. C. WOLFFIUS in *Bibliotheca Hebraica*. Conf.
IO. VAN DEN HONERT Theol. Typ. p. 104. Praecipue au-
tem Pontifex Romanus, Anti-Christus, hinc praedicatur.

v. 45. Μωσῆς, Moses. Judaeorum persuasio erat, Mosen
in extremo iudicio ipsorum singulorum patronum futurum.
Quos Christus refutat, docens, quod Moses per doctrinam
suam de Messia ipsos sit condemnaturus; non *personaliter* et
adplicative ad singulos homines, sed *generaliter* et *normaliter*,
dicendo, quis debeat damnari, nempe qui non credit in Mes-
siam, Deut. 18, 15. 18. et 19. et 28. tot.

v. 46. Ἐγὼ γὰρ, scripsit Moses de me; nempe Gen. 3, 15.
cap. 49, 10. 22, 18. Num. 24, 17. qui haec vaticina de Chri-
sto respuit, ipsorum complementum et Christum ipsum reci-
pere non potest. Conf. 2. Tim. 3, 13. Dum Christus dicit
Mosen de se scripsisse; integra quinque Mosis volumina ado-
ptat, et sibi vindicat, ait D. IO. IAC. RAMBACHIVS in
Herm. sacra p. m. 149.

C A P. VI.

V. I.

Mirā τὰυτα, post haec. Postquam Christus ex Judaea in Galilaeam reversus erat, et per integrum annum varia miracula fecerat, et cum iterum adpropinquaret Pascha; tum accidit haec cibatio. Nam Ioannes consignavit ea, quae reliqui Evangelistae omiserunt.

v. 2. Τὰ σημεῖα, signa, quae faciebat in aegris. Unde adparet, illum longe plura fecisse miracula, quam sunt consignata litteris ab Evangelistis. Ioan. 20, 20. et 31.

* v. 3. Eis τὸ ἕως, in montem adscendebat, unde longius prospicere et ad Pascha proficiscentes notare, et ad epulum suum invitare posset.

v. 4. Τὸ τρίτον, tertium nempe, postquam Christus ministerium suum administrare coeperat.

v. 5. Ἐπάρας, tollens oculos et circumspiciens. Non statim postquam montem conscenderat, sed postquam discipulos suos instruxerat.

v. 6. Πειράζων, tentans, non ad malum, (ut Philippus in peccatum incideret, quomodo diabolus tentat Matth. 4, 1.) sed ad bonum, ut arrenderet Christi facto, et inde in fide sua confirmaretur: quomodo Deus tentat Genes. 22, 1. Jac. 1, 13.

v. 7. Δηνάριον, denarius valebat tres grossos nostros. Trecenti denarii erant XXV. circiter thaleri: pro quibus si panis emi potuisset, is utique non suffecisset, pro quinque milibus virorum, exceptis mulieribus et infantibus Matth. 14, 31, praeterea ne emi quidem poterat tantum panis in loco deserto.

v. 9. Πυδάριον ἓν, puerulus unus. Vnicus tantum puellus, cum reliqui omnes habeant nihil; is habet quinque fragiles

paniculos, prout ille portare potest; quid illi tot cibandis praestabunt? Ceterum de cibo et potu Hebraeorum memorabilia commemorat IKENIVS in Antiquit. Hebr. p. 544. sq. Miraculosa hujus cibationis typus exstat 2. Reg. 4, 42. sqq.

V. 10. Ἐν τῷ τόπῳ, *in loco*, nempe *hoc ipso*, ubi vos existimatis, nos in summa penuria versari, ego omnes illos homines cibabo: ut intelligatis effatum Pauli Rom. 16, 25. Eph. 3, 20.

V. 11. Ὅσον ἤθελον, vel alii legunt ἤθελεν, volebat Christus, scilicet, qui pro omnipotentia sua ex parvis magna, ex paucis multa dare poterat, vel ἤθελον, refertur vel ad discipulos, vel ad hospites; quantum utrique volebant, ex duobus pisculis discipuli proponebant.

V. 13. Κοφίνες, *corbes*. *Cophinus* erat corbium genus, apud Iudaeos usitatum, portandis panibus adhiberi solitum; hujus amplitudo quanta fuerit, exacte determinari nequit, licet a voce σπυρίς non multum differat Act. 9, 25. Hoc loco XII. cophini indicant, per singulos 12. menses Deum nos alere; sed Marc. 8, 8. VII. σπυγίδες indicant, Deum nos per singulos 7. hebdomadis dies alere.

V. 14. ὁ προφήτης, *Propheta ille*, qui promissus erat Deut. 18, 15. 18. de quo Petrus Act. 3, 22, ostendit, hunc esse ipsum Iesum Christum, neque alium in Mose intellectum fuisse. Act. 7, 31.

ὁ ἐρχόμενος, *veniens*; ita peculiariter dicitur Christus, qui ab omnibus temporibus, et jam inde a lapsu protoplastorum dictus est *venturus* per Prophetas, (vid. Matth. 11, 3.) et peculiariter etiam venire debebat ad adsumendam humanam naturam. (Conf. Observat. meae in Matth. ad cap. XI.) Eadem de causa dicitur missus seu *Legatus* Ioan. 3, 16. et Apostolus Hebr. 3, 1.

V. 15.

v. 15. Βασιλέα regem ipsum facere volebant, quia ex miraculis ejus intelligebant, ipsum potentia et sapientia praeditum; ac proinde idoneum esse ad destruendum imperium Romanum, et ipsos in libertatem vindicandos. Nondum igitur praesudicium de regno Christi mundano deposuerant.

v. 17. Ἐμβάντες, ingressi discipuli erant in navem, Iesus autem tum demum ad ipsos accedebat, cum ipsi jam adpulsuri essent: ambulaverat enim pedibus per medios fluctus Matth. 14, 25. sqq.

v. 19. Περιπατῶντα, obambulantem, pedibus scilicet super undis. Quo ipso ostendit, se majorem esse Mose, qui opus habebat divisione aquarum, ut mare transire posset Exod. 14, 21. Itaque Judaei male ipsi praeterulerant Mosen, et in ipsam sperabant. Io. 5, 45. Ceterum ἑσάδιον, veteribus Hebraeis ignotum, a gentilibus demum mutuatum videtur IKENIO l. c. p. 438. et passuum 266. fuisse creditur.

v. 21. ἠθέλον, volebant illum recipere, i. e. libenter volentes. que recipiebant eum: nam Matth. 14, 32. dicitur una cum Petro navem ingressus.

v. 24. οὐκ ἔστιν ἐν ἐμῷ, non sit ubi. Christus in statu exinanitionis secundum humanam naturam visibiliter non erat ibidem.

v. 26. ὅτι ἐφαγέτε, quia comedistis, quaeritis me: non quia vidistis alia miracula; sed solum illud, quod ventriculum explet, vos delectat. Christus itaque ipsos reprehendit, quod sint carnales, et ventris voluptates tantum quaerant. Gen. 6, 3.

v. 27. Ἔργα ἐσθι, operamini cibum, i. e. quaerite studiose cibum spiritualem, (vid. IO. VAN DEN HONERT Theol. Typ. p. 100.) manentem in vitam aeternam, sicut multo labore quaeritis mundanum v. 26.

Ἐσφαγίστε, obsignavit, i. e. divinis donis instruxit Ies. 11, 1. sq.

1. sqq. et characteribus (Matth. 11, 3. sqq.) verò Messiae propriis insignivît, ut talem qui parva iustitia animas hominum pretiosissime redemptas recreare, et bonis tum spiritualibus tum coelestibus exsatiare potest.

v. 28. ἵνα ἴψα ζώμεθα, ut operemur opera Dei. Ita quaerunt Judaei, quia non intelligebant, quod Christus per operationem cibi manentis intelligat occupationem fidei circa iustitiam Christi, quae sola coram Deo valet. 2. Cor. 5, ult.

v. 29. ἵνα, ut credatis, vel potius, si creditis. Quo sensu aliquoties legitur in N. T. e. g. Matth. 11, 25. 18, 6. Luc. 17, 2. Ioh. 11, 50. 16, 7. 1. Cor. 3, 4. (qui sensus nisi adsumatur, hic locus noster explicatu perdifficilis erit) conf. Io. 15, 8. In ipso actu credendi consistit illud opus, quod Deo placet et a Deo debet produci. Ephes. 1, 19. 1. Io. 3, 23. Ergo sunt mendacia, quae FRANCISCUS PVCCIVS, et PÉTRUS POIRET de fide quadam naturali evomuerunt. Vid. D. BVDDI diff. de fide naturali.

Ἐς ὅν, in quem, pro εἰς τόνον, ὅν, in illum quem misit, Atticorum more, v. 31. Conferatur ad commata 31 - 59. D. IO. VAN DEN HONERT in *Theolog. Emblem.* p. 314. sqq.

v. 32. ὅν δέδωκε, non dedit Moses, sed Deus dedit Manna; et idem dat panem spiritualis vitae i. e. Christum ac verum Messiam.

v. 33. ὁ παραβάνων, descendens e coelo panis est Christus, qui 1) pariter ac Manna venit ex coelo.

2) nempe ex Patris sinu Io. 1, 18. ita tamen, ut maneat semper in Patre et in coelo. Ioan. 3, 13.

Δίδως, dans, seu offerens toti mundo vitam; similiter atque pater filium toti mundo dedit Ioh. 3, 16. 17. etsi a mundo non ubique recipiatur. Male ex hoc loco concludunt Calviniani, quod Christus non omnibus detur, quia non ab omnibus

bus recipiatur, sicque non omnibus in alimentum cedat. Meritum Christi debet spectari tum ratione *acquisitionis*, tum ratione *adplicationis*. I. Timoth. 4, 10.

v. 35. Conferatur Ies. 55, 1. sqq. Io. 7, 37.

v. 36. Ἐώρακας, *vidisti me*, i. e. *cognovisti me*, et meas divinas proprietates ex operibus vere divinis, ut negare non possitis, me esse verum Messiam; et tamen non creditis.

v. 37. ὃ δίδωσι, *quod dat*. (Io. 17, 9.) Dat Pater non solo adfectu et voluntate, sed simul effectu, dum per verbum ad Christum adducit homines, eosque facit credentes. Hinc dicuntur ex Deo nati I. Ioh. 3, 9. eosque Christus non repudiat, sed excipit. Hic *negativum* pro *contrario affirmativo* ponitur: uti Rom. 9, 33. I. Petr. 2, 6. Ergo Christus est asyllum conscientiae male adfectae. Vid. STOCKII Int. Graec. p. 79. et RAMBACHII l. c. p. 811.

v. 38. Θέλημα ἑμὸν, *voluntatem meam non facio*, non mere humanam voluntatem, sed unam eandemque cum Patris voluntate, nempe divinam voluntatem.

v. 40. ὁ θεωρεῖν, *videns accurate*. (Conf. BRINCHII lib. cit. p. 190. sq.) Duo sunt officia hominis, nempe Christum recte cognoscere, et in ipsum credere. Christus etiam duo ipsi praestat, nempe resuscitat, et vita aeterna donat. Ergo soli fideles vi meriti Christi aliquando resurgent.

v. 41. Ἐγόγγυζον, *murmurabant*. Vox Graeca significat *suppressa voce sese alicui opponere* Exod. 16, 7. et alicujus dicta reprehendere, ejusque facta adlatrare, cum quadam impatientiae et odii significatione.

v. 44. Ἐκλύσθη, *trahat*.

α) Trahit Deus nos ad se, non immediate, sed mediante verbo, potentia divina. Rom. 1, 16. Io. 12, 32.

β) non

- β) non irresistibiliter, seu ita, ut resisti ipsi non possit; ut existimant Calviniani; sed resistibiliter. Vt testatur ipse textus. Conf. Act. 7, 52.
- γ) non ineffaciter et tantum proponendo voluntatem suam ut putant Sociniani; sed efficaciter et nobis conferendo vires veniendi 1. Petr. 1, 23.
- δ) non violenter et cogendo, sed mentaliter et argumentis voluntatem flectendo,
- ε) non ita ut homo cooperetur, sed ut habeat sese passive, et tantum non resistat morose et malitiose Matth. 23, 37. I. C. H. Adde WOLFFII cur. philol. ad h. l.
- v. 45. Διδασκούς τῶ Θεῶ, edocti a Deo erunt fideles in Novo Testamento (Ies. 54, 13. Ier. 31, 33.)
- a) Itaque purum Dei verbum amplectentur, non traditiones veterum, ut Pharisei Matth. 15, 9.
- b) erunt autem docti, partim immediate, ut Apostoli et quidam alii tempore Apostolorum Act. 2, 1. sqq. 10, 44. partim mediate per lectionem et adnuntiationem verbi. 2. Tim. 3, 15. 2. Petr. 1, 19. sqq.
- c) omnes quidem docebuntur per oblationem verbi, non autem erunt docti in intellectu et emendati in voluntate, quia multi verbum respuunt.
- v. 46. Ἐώρακε, vidit nemo Patrem;
- α) Nullus merus homo vidit Patrem in hac vita Io. 1, 17.
- β) Christus tamen Θεῶν θεωρεῖσθαι vidit Patrem continuo actu Matth. 11, 27.
- γ) Itaque Judaei non debent dubitare de edoctis per Deum, quia Christus in N. T. praecipuus est doctor.
- v. 50. Haec verba Christum enuntiasse, manu ad pectus admota, nemo paullo sanior dubitabit.

v. 51. ἄρτος ζῶν, panis vivens, h. e. panis vitae, nempe gratiae et gloriae coelestis, quia Christus nostra vita est. Phil. 1, 21. Gal. 2, 20. Hic panis autem

- 1) distinguitur ab alio pane et Manna, cui vita non inerat, etsi aleret vires ad sustentandam vitam naturalem.
- 2) vivens dicitur, quia vitam in se et a se habet, sicut hoc est epitheton Dei. 1. Petr. 1, 23. Deut. 32, 40. et est causa vitae mundi. Io. 11, 25, 26.

v. 52. ἑαυτοῦ, pugnabant inter se Judaei.

- a) Consuebant inter se, concorditer negantes, quod Christus carnem suam, i. e. suam humanam naturam comedendam ipsis dare possit;
- b) tantum in hoc discordabant, quomodo id esset possibile, dum alius aliam causam adferebat. Conf. D. AEGID. HVNNIVS et D. FRID. AD. LAMPIVS in Comm. in Ioan. ad h. l.

v. 53. φάγετε, comederitis. Comedere carnem et bibere sanguinem Christi, h. l. non significat sacra coena uti, ut existimant Calviniani, sed Christum sibi per fidem adplicare et adpropriare, seu credere in Christum v. 27. Nam sacra coenatum, cum Christus haec loqueretur, nondum erat instituta, et minimum annuo spatio post instituebatur. Videat ergo et circumspiciat vir ille παραδοξος, ceterum doctissimus, D. SCHAEELIVS, Pastor Hanovienſis Lutheranus, quomodo suam, dudum explosam, sententiam Zwinglianam ex hoc commate tueatur.

v. 56. Ἐγὼ ἐν αὐτῷ, ego in ipso maneo (Io. 15, 4. 1. Io. 3, 24. 4, 16.)

- 1) gratiae largo influxu, non generali modo et naturali; quomodo Christus est in omnibus creaturis. Ephes. 1, 23. Gal. 2, 20.

G

1) in

2) in eo, qui spiritualiter me comedit, seu *in me credit*, meque sibi adpropriat cum omnibus bonis spiritualibus.

3) Vnde videmus contra Calvinianos, quod h. l. non de comestione *sacramentali* agatur: quia non omnes, qui sacramentaliter edunt, habent Christum in se manentem. Memoratu lectuque dignae ad h. l. sunt meditationes doctissimi REINECCII, cantoris nuper Vinariensis, quas b. I. C. COLERVS, V. D. M. Vinariensis, *Bibliothecae suae Theologicae* ao. 1726. inseruit.

v. 57. *Διὰ τὸν πατέρα*, propter seu rectius per Patrem vivit Christus; i. e. per Patrem ego tum vivo tum vivifico, sumque fons vitae, ratione aeternae generationis Pf. 2, 7. Vid. STOKIIP Interpr. Graec. p. 212. sq.) Itaque

a) ut verus Deus per aeternam generationem Mich. 5, 1. 2.
 b) ut homo per communicationem idiomatum divinorum Coloss. 2, 9.

v. 58. *Καταβὰς*, qui descendit ex coelo, est Christus, ratione personae suae considerandus, filius Dei, qui adsumsit carnem et sanguinem, (Hebr. 2, 11 - fin. et conf. D. JOACH. EHRENF. PFEIFFERI progr. in Hebr. II. comm. II.) non ipse caro et sanguis, quippe quae non descenderunt de coelo, uti veteres quidam haeretici opinabantur. Vnde iterum adparer, non h. l. esse sermonem de sacra Coena, sicut frustra Reformati contendunt.

v. 59. Quoniam consideratio loci, ubi aliquid dictum est, lucem adfert interpretationi: uti D. RAMBACHIVS l. c. p. 118. 119. jam adnotavit; incredulitas et malitia auditorum in schola Capernaitica eo magis elucescit, quod ibi Christus multa miracula patraerat.

v. 62. ἀναβαίνοντα, *adscendentem*. Quando Christus adscendet in coelos, et adsumet secundum hum. naturam plenarium communicatae majestatis divinae usum; tum facile ipsi erit, dare corpus suum edendum, et sanguinem bibendum in sacra coena. Respondit ergo ad v. 52. I. C. H.

v. 63. τὸ πνεῦμα, Spiritus, i. e. Spiritus sanctus in verbo Evangelii loquens, et operans regenerationem et totam conversionem nostram: qui extra Evangelium non operatur nostram salutem, unde Evangelium dicitur *Spiritus* 1. Io. 5, 8. 2. Cor. 3, 6. sqq. Ex hoc Evangelio judicandum de rebus spiritualibus, ut consequamur prudentiam spirituale. Rom. 8, 6. et sapientiam Dei. 1. Cor. 2, 12.

ἡ σοφία, *cavo* i. e. homo naturalis et *cavnalis*, et *propria* ejus *sapientia*, atque judicium de rebus fidei, extra Scripturam factum, (quod Rom. 7, 7. 8. dicitur *prudentia carnis*, quae inimicitia est erga Deum.) ZWINGLIANI hoc intelligunt (more obtorto et contorto, ideo ridiculo,) de carne Christi, et regant in sacra coena eam nobis utilem esse. Sed naturalis rejicit, et ostendit, quod ex solo verbo Dei sit judicandum de rebus divinis.

v. 56. οὐδεὶς δύναται, *nemo potest venire ad me, nisi ipsi datum sit a Patre.*

1) Datur per verbum evangelii, non absque illo, quod est Spiritus vivificans v. 63.

2) Resistit itaque Deo potest, quo minus dare possit fidem, cum resistitur verbo, Matth. 23, 37. Act. 7, 52.

3) Quod contra Calvinianos notandum, qui ex hoc loco probare volunt, quod Deus multos ex absoluto decreto damnaverit, quibus non dat fidem, quam conferat operatione irresistibili. I. C. H.

v. 66. Ἀπῆλθον, *abibant*, seu deserebant illum; εἰς τὰ ὀπίσω, ad illa, quae retro erant, quaeque reliquerant, revertebantur: hoc est, ad negotia mundi et incredulitatem relabebantur Luc. 9, 62.

v. 68. Ῥήματα, *verba vitae aeternae* sunt verbum evangelii, quod per Christum ortum est v. 63. Io. I, 17. I. Petr. 1, 23.

v. 69. Ὁ Χριστός, *Christus, der Christ*, qui ab initio mundi promissus, et semper expectatus fuerat. Ps. 14, 7. Io. I, 49. sq. omnium gentium solatium Hagg. 2, 8.

v. 70. Διδόλος, *delator, calumniator, proditor, traditor* Christi in manus hostium erat Judas.

CAP. VII.

v. I.

Mετά ταύτα, *post haec*, quae scilicet cap. V. sunt commemorata, conversabatur in Galilaea, ibique docebat, et miracula faciebat, (ut Cap. VI. fuit relatum.)

v. 2. Σηνοκηνία, *tabernaculorum festum, vel compactio*, festum erat, quod die 15. septimi mensis anni Ecclesiastici inchoabatur, quo per octo dies habitabatur in tabernaculis, frondibus, structis ante aedes, et in rectis aedibus, in memoriam habitationis per 40 annos in tabernaculis, et protectionis per eos factae, et denique, ut pro messe gratias Deo agerent. Respondebat tempus nostro Septembri. Vid. IO. ANDR. QVENSTEDTII Antiquit. Bibl. p. 542. et CONR. IKENII Antiquit. Hebr. p. 313. sqq. Mysterium Christi et Christianismi in festo tabernac. ostendit D. JOACH. LAN. GIVS in Antiqu. Biblicis.

v. 3. Μαθηταί, *discipuli*, non primi ordinis, quorum duodecim erant Math. 10, 1. sqq. sed secundi ordinis, seu fideles quicumque Math. 20, 8.

v. 4.

v. 4. Ἐν κηρυξίᾳ, in celebritate esse, clarum et manifestum esse, quo sensu vox legitur Io. 2, 14. Coll. 2, 15.

Ἐὶ ταῦτα, si haec facis, nempe jure, ad Dei gloriam, et hominum salutem, fac illa palam, seu manifesto et in oculis omnium.

v. 5. οὐδέ, neque ipsi fratres ejus in ipsum credebant:

- 1) intelliguntur Christi fratres ex Josepho, non germani, Stief-Brüder, et cognati ex illo
- 2) non credebant plene et absque haesitantia, sed adhuc subdubitabant.

v. 6. Huc pertinet observatio de vocula πάντες in STO-CKII Int. Graec. p. 125. §. 138.

v. 7. οὐ δύναται, non potest mundus, i. e. homines mundano affectu praediti, vos non possunt odisse, nempe propter castigationem ipsorum, quia vos non castigatis ipsos, sed cum ipsis facitis Io. 15, 19.

v. 10. ἄρ, h. l. significat postquam, Conf. MATTH. DE-VARII lib. de partic. Graecae linguae.

v. 12. Ἄγαθός ἐστι, bonus est, nempe non vulgariter et moraliter, ut alii quoque homines Matth. 12, 35. sed eminenter, essentialiter, quomodo solus Deus bonus est Matth. 19, 17.

v. 13. Ἰσδαίων, Judaeorum, procerum nempe, Phariseorum et Scribarum, qui Christum ad mortem quaerebant, hos timebant fideles. Typum exhibet IO. VAN DEN HONERT in Theol. Typ. p. 102. §. 40.

v. 15. Γράμματα, scripturas nempe sacras 2. Timoth. 3, 15. Christus noverat, etsi non didicerat operose, et magno labore, ut alii homines. Noverat autem ex communicata omniscientia Dei Col. 2, 9. 13.

v. 16. *Doctrina mea non solum mea est, sed etiam ejus, qui misit me.* Hanc translationem confirmant plura dicta, Marc. 9, 37. Io. 12, 44. 1. Cor. 1, 17. 1. Io. 3, 18. Ephes. 6, 12. Conf. etiam HORAT. TVRSELLINVS in libro *de Lat. linguae particulis.*

v. 18. *Ἐφ' ἑαυτῷ, a seipso et ex suo arbitrio et ingenio conficta* qui loquitur, is propriam gloriam quaerit. Itaque

1) Christus, dum ea de Deo loquitur, eo ipso per naturam manifestat, vera loquitur, et Deum glorificat Rom. 1, 18-20. et cap. 2, 14 et 15.

2) dum etiam ea loquitur, quae in scripturis sunt revelata, glorificat Deum 1. Petr. 4, 11.

3) qui autem alia et ab illis diversa venditat, ille suam gloriam quaerit.

v. 19. *Τὸν νόμον, legem, i. e. secundum legem nemo vestrum facit.* Exod. 24, 3. 4.

v. 20. *Δαιμόνιον, daemonium seu diabolus habes qui tuum intellectum corrumpit, et ad insaniam permovet.* Nam Judaei omnes afflictiones corporis et animae daemone tribuebant.

I. C. H.

v. 22. *Ἐκ τῶν πατέρων, ex patribus est circumcisio,*

a) non tanquam ab auctoribus et institutoribus; sed primis usurpatoribus: nam quadringentis triginta annis ante Moysen primus Abrahamus circumcisus est. Genes. 17, 10. Conf. HONERTVS lib. cit. p. 119.

β) unde non sequitur, ut debeat circumcisio perpetuo durare.

v. 23. *Ἴνα μὴ λυθῆ, ne violaretur lex Moisaica, circumcidendus erat puellus, postquam octavus ejus a natiuitate dies in sabbatum inciderat, die Sabbati.* Et hoc fiebat secundum

dum

dam legem caerimonialem. Potius itaque homo sanandus erat in Sabbato, quod fit secundum legem moralem.

v. 24. Κατ' ὄψιν, secundum *adparentiam*, aut prout ipsis videtur, vel ex malo adfectu, vel ex ignorantia, et negligentia legis, non debent Judaei judicare, sed secundum legem, exemplo Messiae. Ies. 11, 3. et Dei, Act. 10, 14. Gal. 2, 6. addatur Deuteron. 1, 16. 17.

v. 25. Ἱεροσολυμιτῶν, expresse illi nominantur, uti opponuntur aliis Judaeis advenis, quorum tunc multi erant Hierosolymis.

v. 26. Παρήρσις, palam, publice, manifeste, frey und ungeschweut. Nam id facit consentientibus principibus nostris: nam illi sunt convicti, ipsum esse Christum.

v. 28. Καὶ ὑς οἶδατε, et me cognoscitis, i. e. opinamini me cognoscere et scire; unde sim. Verba, quae esse et facere significant, saepe de rei opinione explicanda sunt. e. g. Luc. 16, 15. Matth. 18, 17.

Ἄληθινός, verus et essentialis Deus est, qui me misit. Veritas essentialis, et immutabilis est attributum Dei proprium. i. Io. 5, 20.

v. 29. Παρ' αὐτῆ, ab ipso Deo Patre sum, per aeternam generationem. Ps. 2, 7. ejusdem cum ipso essentiae Io. 10, 30.

v. 30. Ὅτι, quia nondum venerat hora passionis Christi, nemo manum ipsi injiciebat, Deo id prohibente.

v. 33. Ἰπάγω, abeo, i. e. visibilem conversationem meam vobis subtraho, et secundum humanam naturam divinae gloriae statum ingredior, regimen universi mundi auspicor. Ioan. 17, 5.

v. 35. Διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων, dispersionem Graecorum aditus est.

N) intelliguntur Judaei, Graeca lingua loquentes, qui alias Hel-

Hellenistae vocabantur, ut HVGO GROTIUS in observat. ad h. l. ostendit.

- 2) Dicuntur dispersio, seu dispersi, quia ex patria sua expulsi erant, et sparsim inter alias gentes habitabant.
- 3) Dispersio Judaeis duplex acciderat, prima in captivitate Babylonica, unde non omnes redierunt; secunda in invasione Alexandri M. sub quo etiam quidam militarunt.
- 7) Id Judaei exprobrant, seu vitio dant Christo, quod ad dispersos Judaeos sit abiturus, relicta terra sancta.

v. 37. *Διψῶ*, sitit,

- 1) *sitis* est vel *naturalis*, qui expletur infusione potus, vel *moralis* et *spiritualis*, cui satis fit mentali adprehensione rei desideratae, seu fide, ut *sitis justitiae* Matth. 5, 6. Ies. 12, 13. qualis et hic intelligitur.
- 2) ex hoc loco absurda concludunt pontificii, quod justificatio fiat per *infusionem justitiae*.

Ἐξίδω veniat. Accessum mentalem, non corporalem, significat. Non omnes festi tabernaculorum dies fuisse aequalis sanctitatis, ostendit D. IKENIUS l. c. p. 134. sq.

v. 38. *Καθὼς ἔπε*, quemadmodum dixit scriptura Ies. 12, 3. Dixit:

- 1) credendum est in Christum. Gen. 49, 10. Hab. 2, 4.
- 2) credens debet saturari. Ies. 55, 1.
- 3) a saturatis fluxus aquarum spiritualium, ad producenda sancta et in ipso et in aliis verba et opera, expectari potest. Ies. 41, 17. 18. 44, 3. 4. Joël. 3, 1. Ezech. 36, 25. Conf. IO. v. D. HONERT in *Theol. Typ.* p. 4. 101. 191. et in *Theol. Emblem.* p. 207. 233. 234. Aqua ob vim humectandi, sitim extinguendi, et lavandi, est Spiritus sancti emblemata.

Ker.

Κοιλία, *cavitas*, significat interdum *cisternam* vel receptaculum aquarum; sed h. l. denotat totum hominem Spiritu sancto impletum Act. 2, 2. sqq. 14. 17. 8, 17. 10, 44. Ezech. 39, 29. Tit. 3, 6. unde fluunt doctrinae et virtutes spirituales. Magnus ille D. AEGID. HVNNIVS, cum multis aliis, *κοιλίαν* accipit pro voce *καρδίαν*. Certe apud LXX. Interpr. *κοιλία* aliquoties ponitur pro *animo*, cujus sedes quasi principalis est cor, quod ventre continetur.

v. 39. ὄπωπ' ἦν, *nondum erat Spiritus sanctus*, nempe *miraculose effusus*; quae effusio facta est post adscensionem Christi Act. 2, 1. sqq. Sociniani hoc ita interpretantur, quod Spiritus sanctus tunc nondum exstiterit, adeoque non sit Deus, sit tamen donum aliquod spirituale, de quo 1. Cor. 13, 4. sqq. Verum de miraculosa effusione Spiritus sancti sermonem esse, liquet ex ratione adjecta, quod *Christus tum nondum fuerit glorificatus*, i. e. post passionem et mortem per resurrectionem et adscensionem nondum *gloriosus declaratus* erat. (Vti διμαρῶδες Jac. 2, 21. *justus declaratus* significat.) Quemadmodum et Christus per illustrissimam Spir. S. effusionem, et per universalem doctrinae Christianae propagationem, glorificatus est. Conf. PETRI BRINCHII l. c. p. 75. 76.

v. 40. 41. ὁ προφήτης, Propheta, ille nempe, qui Deuter. 18, 18. promissus, et ipse Christus erat. Sed illi haec per errorem distinguebant.

v. 42. Ἐκ τῆς σπέρματι, *ex semine*. Hac phrasi peculiari-ter denotatur Messias, (vid. Ies. 11. sqq. Rom. 1, 3. et 9, 5.) quae de aliis filiis in Scriptura non usurpatur. I. C. H.

v. 46. Οὐδέποτε ἔτις, *nondum sic locutus est homo*: sic confidenter, efficaciter, pure et absque traditionibus. Conf. Matth. 7, 29.

v. 48. *Μή τις ἐκ τῶν ἀρχόντων*, num quis, ex proceribus Synedrii et primariis sacerdotibus in ipsum credit? Ecce! jam hi fovebant Papatum quendam, qui postulabant, plebejos nihil debere credere, nisi quod ipsi crederent, quia essent principes. Quorsum respicit Paulus 2. Thess. 2, 2. sqq. sed alibi docet, plures plebejos quam principes credere. I. Cor. I, 26. I. C. H.

v. 50. *Μὴ ὁ νόμος*, num lex judicat, i. e. condemnat hominem, nisi ipsum audierit et cognoverit? Magistratus autem debet esse viva lex, neque aliter judicare, quam lex jubet. Et hoc est *juris naturalis*, vid. Act. 25, 26.

v. 52. *Ὁμοίωσεν ἑσθὲν*, non excitatus est Propheta ex Galilaea.

1) Hoc falsum erat: nam Jonas erat ex *Gath Chepher* 2. Reg. 14, 25. quae urbs sita erat in tribu Sebulon Ios. 19, 13. ideoque in Galilaea. Jon. 1, 1.

2) non sequitur, si adhuc non venit Propheta ex Galilaea, fore, ut etiam posthac non veniat quisquam.

C A P. VIII.

v. 3.

Γραμματεῖς, *scribae*, qui scriptis Propheticis interpretandis operam dabant, inferviebant Synedrio, et ejus auctoritatem tuebantur. Et etsi jam jus gladii Judaeis erat ademptum, et ad Romanos translatum, hi tamen illud per vim et tumultum ad se rapiebant, et quosdam occidebant, ut Stephanum. Act. 7, 59. I. C. H.

v. 6. *Κατὰ κλίμας*, *deorsum se inclinans*. Hoc gestu Christus judicium a se declinare volebat, quia non venerat, ut judicio civili et criminali judicaret homines; Io. 3, 17. sed ut ipse magistratui sese subjiceret, et homines redimeret, Matth. 20, 28. Luc. 12, 14. Pharisei autem sperabant, illum sen-

ten-

centiam contra mulierem illam dicturum, ut possent illum accusare, tanquam invasorem imperii politici. Iesus sese inclinans litteris hoc versu consignabat omnia illorum peccata, iudice D. IO. CHR. WAGENSEILIO.

v. 7. ἄναμάρτητος, qui sine peccato est, quod soli Christo homini competit Luc. 1, 35. Hebr. 7, 26. Vtitur autem Christus hac voce, ut adversarios confundat, qui ipsum seducturi et sollicitaturi erant ad ferendum iudicium, quod ne ipsis quidem licitum erat. Deut. 17, 7. Rom. 2, 1.

v. 8. Hoc versu in litteris scriptis repetiit verba v. 7. prolata.

v. 9. Ἐαγγέλιον, accusati et convicti. Nam conscientia utramque habet vim, et accusandi et convincendi, Rom. 2, 15. et vim damnandi denique 1. Ioh. 3, 51.

v. 12. Τὸ Φῶς; lux illa, quae praedicta est Ies. 49, 6. et typice adumbrata per columnam ignis et nubis, teste IO. v. D. HONERT in *Theol. Typica* p. 98. sq. conf. Io. 1, 4. 5. et 9. Christus est lux in regno gratiae per officium Propheticum, quo homines adducit ad cognitionem divinae voluntatis; et quidem est lux totius mundi, quia omnes homines illuminare cupit Matth. 28, 19. Hinc lux est in sacro codice emblemata cognitionis.

ἀκολούθῳν, sequens, non ex propriis viribus, ut Pontificii interpretantur, sed ex viribus gratiae per Spiritum sanctum collatis (Rom. 8, 14.) sequitur homo non repugnans.

v. 14. Κἀν ἐγὼ, etsi licet, de me ipso testor, verum tamen est meum testimonium, qui scilicet sum Deus et homo, ergo veracissimus, qui non possum mentiri Hebr. 6, 18. Tit. 1, 2.

v. 15. Κατὰ τὴν σάρκα, secundum carnem, vos iudicatis, i. e. ex adfectu carnali et peccaminoso Gal. 5, 22. Sed ego non iudico

dico quemquam ex tali carnali adfectu, neque iudicio politico: quia non veni, ut mundum iudicem aut condemnem, sed ut salvem. Io. 3, 17.

v. 16. *Μόνος*, solus non sum, i. e. Ego et pater sumus unum quidem ratione essentiae, 1. Io. 5, 7. non tamen unus seu una persona. Male itaque ex h. l. colligunt Sociniani, Christum non esse verum Deum, cum illud potius inde sequatur, ut Christus sit verus Deus 1. Ioh 5, 7. Ef. 48, 16. I. C. H.

v. 17. *Δύο ἀνθρώπων*, duorum hominum testimonium verum est, Deut. 17, 6. 19, 15. Matth. 18, 15, 16. 2. Cor. 13, 1. Hebr. 10, 28.

v. 19. *Ἐι ἐμὶ ἠδενε*, si nossetis me, etiam patrem nossetis, quia filius est character patris Hebr. 1, 3. et imago Dei invisibilis Col. 1, 15. qui ergo cognoscit filium, cognoscit etiam patrem.

v. 21. *Ζητήσατέ με*, quaeritis me:

- 1) quaeritis Messiam, postquam me repudiaveritis. Id quod hodieque fit apud Iudaeos.
- 2) In peccatis vestris moriemini, quia me non recepistis, quia sum vita mundi Phil. 1, 21.
- 3) non venietis eo, quo ego abeo: non enim salvabimini, et non videbitis regnum gloriae.

v. 23. *Ἐν τῶν κάτω* scil. *ἐν τῶν*, ex iis, qui infra sunt, vos estis, i. e. adfectu terrestri vos estis obrui toto corde, ideo terrestria sequimini. Coloss 3, 1. 2. 3. ego vero coelesti adfectu sum praeditus, et coelestia sapio.

v. 25. *Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν*, *Principium*, et praecipuum, id quod et antea dixi vobis (uti recte vertendum esse cenfer BRINCHIVS lib. cit. pag. 44. Hoc praecipuum est, quod de me sciendum est, ut credatis id de me, quod ego de

de me loquor et dico saepius: nempe me esse coelestem doctorem, redemptorem, et regem vestrum.

v. 26. Πολλά, multa devobis loqui, et in vobis reprehendere possem, quae male agitis; sed vos non recipitis doctrinas meas.

v. 28. Ὁταν, quando exaltaveritis filium hominis, seu in crucem me sustuleritis, (Ioan. III, 14, 12, 32. Quae exaltatio est via ad statum exaltationis Luc. 24, 26.) tunc me cognoscetis. Matth. 28, 11. sqq.

v. 29. Μετ' ἐμῶ, mecum est pater, nempe in me, et ego in ipso Io. 10, 30. mecum, quia est diversa a me persona; in me autem, quia est ejusdem essentiae, cujus ego. Est vero mecum plane singulariter et essentialiter.

v. 31. Ἐάν μένητε, si manseritis, i. e. si perseveraveritis in verbo meo et vera fide, quae nititur verbo mei evangelii, vere estis mei discipuli et salvabimini Matth. 10, 22.

v. 32. Ἡ ἀληθεῖα, veritas, i. e. Christus, auctor doctrinae veritatis, nempe evangelicae. Io. 14, 8. et 8, 36. sqq.

v. 34. Ποῦν τὴν ἀμαρτίαν, faciens peccatum. Rom. 6, 10. Hoc maxime differt ab ἀμαρτάνων, peccare. Nam facere peccatum, est scierit et proaereticè peccare, seu ex malitia peccare; 1. loh. 3, 4. sed peccare est, quocumque modo contra legem Dei agere, etiam ex ignorantia, aut praecipitantia. Sancti non faciunt peccatum, sed illud potius patiuntur Rom. 6, 22. 7, 20. Gal. 5, 10. Paucis: δὲλϙ, servus peccati est, qui sciens volensque peccat.

v. 35. Ἵς μὲν, filius manet in domo, in ecclesia et habitaculo coelesti, nempe jure haereditatis; quae Christo competit per se, Hebr. 3, 6. verum fidelibus, utpote Christi membris et fratribus, per gratiam et fidem. Rom. 8, 17.

v. 38. ὃ ἑώρακα, quod vidi a patre, i. e. quod cognovi ab aeterno, et in aeterno de hominibus salvandis decreto, accepi et iussus sum; vos autem facitis, quae iussi estis a patre vestro, diabolo.

v. 39. Τέκνα τῆ ἑβραίου, filii Abrahami si essetis, nempe spirituales, atque fideles, quales scriptura per filios Abrahami intelligit, faceretis opera Abrahami: nam hic distinguendum est inter filium κατὰ σάρκα et κατὰ πνεῦμα, Rom. 9, 8. Jac. 2, 21. sqq.

v. 40. Τῦτο Abrahamus non fecit, i. e. non quaesivit me excidere, sed cum gaudio in me credidit Socinus haec sic explicat: non fecisset, si scilicet tempore hoc viveret, sed credidisset potius. Verum non est necessaria haec mutatio temporis: nam τῦτο, hoc, idem est quod talia, similia. I. C. H.

v. 41. Ἐκ πορνείας, ex fornicatione nati non sumus. Sermo est de scortatione spirituali, ex qua negant Judaei se esse natos, quia Deum habeant patrem. Christus autem id adfirmat: et recte, quia non credunt in filium, quem qui non fide habet, is nec Deum patrem habet, Io. 5, 23. Sunt ergo Judaei, Turci, et quicumque non credunt in Christum, idololatrae et ex spirituali fornicatione nati.

v. 43. Τὴν λαλίαν, sermonem meum non cognoscitis, i. e. non intelligitis, adprobatis, et fide recipitis.

v. 44. Ἀνθρωποκτοῦν, homicida, est diabolus: moraliter nempe, et praeparative, quia homines praeparat, ut propter peccata ipsis sit moriendum. Rom. 6, 23. Gen. 2, 17. 18.

Ὁὐ ἔστην, non stetit, i. e. non perseveravit. Fuit enim in veritate, et ejus cogniione creatus, sed illam deseruit. 2. Petr. 2, 4. Judae v. 6.

Ἀλήθεια, veritas non est in ipso: rejectus enim iste spiritus non adprobat, amat, et exercet veritatem. ὁ πα-

ὁ πατὴρ, pater mendacii, quia mendacium, sicut peccatum, induxit in mundum. Gen. 3, 4. sqq. 1. Reg. 22, 22. sqq. Job. 1. et 2. Apoc. 12, 10.

v. 46. οὐ πιστεύετε, non creditis? Incredulitatem Christus exprobrat Judaeis, non ideo, quod in naturalibus viribus ipsorum esset, credere; sed quod Christus ipsis offerebat vires credendi, et ipsi oblatas repudiabant.

v. 47. ὃν ἐκ τοῦ Θεοῦ, qui est ex Deo, i. e. qui a Deo est re-
genitus per verbum evangelii. 1. Io. 3, 9. Iac. 1, 18. ille au-
dit verbum Dei. Distinguendum, inter auditionem simplicem,
et auditionem cum averfatione, vel receptione conjunctam.

v. 48. Duo crimina Christo exprobrabant Judaei,

1) Samaritanisimum, seu ethnicae religionis cum Judaismo
confusionem, quia in Galilaea habitabat, quae olim fue-
rat sub regno Samaritano, ubi tamen et multi fideles de-
gebant. Matth. 4, 15. et 16.

2) collisionem cum diabolo, quia diabolos ejiciebat. Matth.
12, 24. Quo ipso peccatum in Spiritum S. committebant
Marc. 3, 28. 29. 30. Vid. meine Religions-Predigten pag.
229. sqq.

v. 50. οὐ ζητῶ, non quaero gloriam meam,

1) nempe coram mundo ex pravo adfectu humano, et ex
superbia; quaerebat tamen gloriam ex veritate, et sin-
ceritate, sibi que debitam Io. 2, 11.

2) Ζητῶ, ponitur pro ἐκζητῶ, exquiro, cum summa vindi-
cta et poena non jam quaero, quod pertinebat ad statum
exaltationis. Io. 3, 17.

3) inepte Sociniani inde probare volunt, Christum non
esse verum Deum, quod non quaesiverit gloriam suam,
quod tamen Deus faciat Proverb. 16, 4.

v. 51. Ex hoc dicto recte refutatur ALEXANDER HERM. ROELLIUS, qui contendit, in morte fidelium adhuc aliquid poenae inesse: quem, praeter Batavos, CAMP. VITRINGAM et FRID. SPANHEMIVM, solidis rationibus confutarunt, GE. FRID. NIEHENCKIVS, ZACHAR. GRAPIVS, et AMANDVS GOTTHOLDVS FEHMELIVS.

v. 52. *Πίσταται θανάτου*, gustabit mortem.

- a) malitiose agunt Judaei, quod verbum Christi, *videbit*, convertunt in *gustabit*: hoc enim contra leges contradictio- nis naturalis et candorem est.
- b) casu tamen adsequuntur et exprimunt verum Christi sen- sum, qui erat, quod credentes non sint sensuri aut pas- suri mortem aeternam, vel naturalem tanquam poenam percepturi, quum Christus eam pro ipsis gustaverit. Hebr. 2, 9.

v. 56. *Ἔδε, vidit Abrahamus diem meam*:

- 1) vidit Abrahamus fide, qua credidit in Messiam Genes. 15, 6. Iac. 2, 21. sqq.
- 2) diem nativitatis et mortis, quo redempturus esset genus humanum Gen. 22, 18. 26, 18. (vid. VITRINGAE Obs. sacr. lib. 2. pag. 126.) qui dies Abrahamo reprae- sentabatur in sacrificiis et immolatione filii ipsius. Vid. JOACH. JVSTI BREITHAVPTI *Char. Freyt. Pred.* P. 355. sqq.
- 3) physice, in adparitionibus filii Dei, e.g. Gen. 18, 1. sqq.
- 4) vidit Abrahamus diem nativitatis Christi ex divina reve- latione. Vid. D. WILH. LYSERI *diff. de fide Abra- mitica* p. 38. *Conf. Theol. mea Patriarchalis systematica* part. 4. cap. 2. §. 4. Addatur HONERTI *Theol. Typ.* p. 3. §. 10.

v. 57. *Edspanes, vidisti Abrahamum?*

1) Judaei verba Christi evertunt, qui non dixerat: *ego vidi Abrahamum*; sed dixerat: *Abrahamus vidit me et diem meam.*

2) Christus tamen admittit hunc sensum, quia vere Abrahamum viderat secundum divinam naturam et tum ad tempus adsumtam humanam speciem. Gen. 18, 1. sqq.

v. 58. *Πρίν γενέσθαι, antequam natus fuit Abrahamus, ego sum.* Nam Abrahamus cum ante non fuisset, suo tempore factus est; Christus autem est ab aeterno in aeternum, prorsus immutabiliter Apoc. 1, 18. Ioan. 1, 1. Conf. D. SAL. GLAS. SII Philolog. Sacr. p. 886. editionis BVDDEANAE.

v. 59. Ad hoc comma conferantur dicta Levit. 24, 16. Act. 7, 56. Genes. 19, 11. Luc. 4, 30.

CAP. IX.

v. 2.

Tic *ἠμαρτυν, quis peccavit? num hic, an ipsius parentes?* Peccatum actuale hoc loco intelligitur, quod hic coecus commississe non potuit, antequam existerat; peccata autem parentum ipsi imputari non potuerant, per justitiam divinam Ezech. 18, 17. sqq. Verum non propter actuale peccatum coecus erat natus, sed propter originale, cuius reatum multi in utero matris experiuntur Ps. 51, 7. tum etiam ut Christi gloriosa majestas elucesceret.

v. 3. *Οὐδέ ἔστῃ, neque hic peccavit, seu peccatum actuale commisit, ut propterea coecus nasceretur, quia, antequam conciperetur, actualiter peccare non potuit.* Ineptè igitur Pelagiani ad hunc locum provocant, probaturi, quod non existat peccatum originale: non enim originale peccatum h. l. negatur, sed actuale.

ἵνα φανερωθῆ, ut manifestentur opera Dei. Nam

- 1) haec causa finalis erat, cur coecus nasceretur; nempe ut Christus in illo divinam potentiam demonstrare posset, conf. Ioh II, 4.
- 2) causa meritoria peccatum originale erat, quod vere mortem et quamvis calamitatem meretur. Ephes. 2, 3. Particulam *ἵνα* h. l. *eventualiter* poni, uti Io. 5, 20. Rom. II, 31. observat b. STOCKIUS in Int. Graec. p. 100. §. 229.

v. 5. *Ὅταν*, quando seu *quamdiu* in mundo sum, lux mundi sum, nempe in propria persona docens, et homines illuminans; sed quando in coelum ascendero, homines illuminabo per alios. Io. I, 5. 9. et cap. 8, 12. Ephes. 4, 11. Conf. HONERTI Theol. Typ. p. 97. §. 32. fin.

v. 6. *Ἐπέχρισε*, *inunxit*, *illevit lutum*.

- 1) fecit id ex mera libertate, cum idem absque hac inunctione praestare potuisset.
- 2) ostendere voluit, se omnipotentiam per quaecunque media exferere posse.
- 3) quidam Patres existimarunt ex hoc luto creatos esse oculos; sed frustra: quia illud v. 14. dicitur illos aperuisse seu potentiam videndi dedisse, oculis ipsis jam existentibus, sed ad videndum ineptis. Ceterum neque in luto, neque in aqua Siloae, quidquam virtutis fuisse ad sanandos oculos, sed Christum libere externis symbolis miracula sua ornasse, et ostendisse, tantum potentiae esse in creaturis, quantum ipse dare velit; praeclare observat celeb. RAMBACHIVS in *Herm. Sacr.* p. m. 496.

v. 7. *Νίψαι*, *lava*. Quidam existimant, peculiarem huic piscinae virtutem fuisse, ut illi Io. 5, 4. sqq. Conf. Nehem. 3, 15. Ies. 8, 6.

v. 9.

- v. 9. Ὅμοιος, *similis illi*, eandem faciem et formam refert.
- v. 10. ἀπέβλεψα, h.l. non significat *visum recepi*; ut alias: sed *vidi*, *videndi usum accepi*, quem antea nunquam habui, utpote coecus natus. v. 1. quo sensu etiam legitur Matth 11, 5. et h.l. v. 15. Nam *composita verba* interdum habent significationem *simplicium*, ut Act. 15, 17.
- v. 13. Φαρισαῖος, Pharisaeos. Ad hos adducebatur sanguis, utpote magistratus suos et membra Synedrii, quales erant plurimi, cum pontifex esset Pharisaeus. Cum autem Sadducaeus hac dignitate fungeretur, tum et adfessores plerique erant Sadducaei Act. 13, 2. sqq. saltem plerumque.
- v. 14. Σάββατον, magnum nempe, seu septimus hebdomadis dies, statim post creationem sanctificatus Gen. 2, 3.
- v. 17. Ὅτι, *utique*, *certe*, *profecto et absque dubio* hic homo Propheta est. Quo significatu haec vocula usurpatur 1. Io. 3, 20. Luc. 16, 15. Marc. 14, 71.
- v. 22. Συνέιδεωτο, *composuerant*, *constituerant aut conspiraverant*, et *insidiose pacti erant*, *inter se* contra Christum: quomodo Judas cum sacerdotibus Luc. 22, 5. et Saul putat, Abimelechum cum Davide contra se conspirasse 1. Sam. 22, 23. conf. Act. 23, 20. De exclusionem a coetu et synagoga, seu excommunicationem Judaeorum legatur D. IKENIVS in *Ant. Hebr.* p. 410. sqq.
- v. 24. Δός δόξαν, *da gloriam Deo*. Est formula adjectoria, quia eo adigere volunt sanatum, ut non Christo, sed Deo ascribat sanitatem suam. Legitur etiam Io. 7, 19. et 1. Sam. 6, 5.
- v. 25. Ἐπίμαρτωλός, *anne peccator sit?* nescio, i. e. dubito et persuadere mihi non possum, eum esse hominem malum et improbum. Vid. BRINCHII l. c. p. 22.

v. 28. Ἐλοιδόγησαν, vituperabant, calumniabantur, h. e. putabant se maxime calumniari, si Christi discipulum eum vocarent; haec vero non est calumnia sed gloria. 1. Cor. 2, 2.

v. 31. ὁ Θεός, Deus non audit peccatores, i. e. homines malitia insignes (ut vertit laudatus BRINCHIVS) ad miracula facienda. Nimirum distinguendum est inter *miracula* et *mirabilia*. Miracula fiunt per solam potentiam divinam, eaque Deus facit per fideles; mirabilia autem infideles etiam opedi-
aboli facere possunt. 2. Theff. 2, 10. Exod. 8, 18.

v. 34. ὁλῶ, totus in peccatis natus es.

1) Omnes homines toti in peccatis nascuntur Pf. 51, 6. Rom. 5, 12.

2) Sed Pharisei hoc intelligunt *hyperbolice*, quasi dicant: tu non tantum in peccatis totus es natus, sed etiam in illis patrandis omnino perseveras.

v. 36. ἵνα πιστεύσω, ut credam, nempe ex plena cordis convictione et intima fiducia, ipsum redemptorem meum amplectar.

v. 38. Προσκύνησας, adoravit, nempe *religiose*, ex vera fide, ut filium Dei essentialem, adeoque salutariter. Hebr. 1, 6.

v. 39. Ἐν κρίσει, in iudicium veni in hunc mundum, respectu infidelium Act 13, 46.

1) Videtur hoc pugnare cum Io. 3, 17. non misit Deus filium, ut mundum iudicet; sed ibi loquitur Christus de iudicio activo, ad quod missus non erat: hic autem de iudicio passivo, ut sineret se iudicari Luc. 2, 34.

2) Distinguendum quoque est inter iudicium *reprobationis*, et *discretionis*. Non ad *illud*, ut mundus reprobareretur; sed ad *hoc*, ut mundus seu genus humanum discernere-
tur, et discrimen inter fideles et infideles manifestare-
tur, venit Christus.

ἵνα,

Ida, ut *non videntes* (i. e. antea gentiles) videant, i. e. agnoscant spiritualem coecitatem suam, omnem salutem in Christo quaerant, et salventur Luc. 2, 32. Rom. 9, 30. Et ut *videntes*, (i. e. fastuosi sibi que sapientes Judaei) coeci evadant, i. e. ut, qui sibi videntur esse perspicacissimi, agnoscant suam coecitatem. Ergo particula *Ida* h. l. non *causaliter*, sed *eventualiter* et consecutive accipienda est: uti I. Cor. II, 19. I. Petr. 5, 6. Rom. II, 31. Io. 5, 20. I. Io. 2, 19. Matth. 27, 35.

v. 41. *Ἐἰ τυφλοὶ ἦτε, ἢ ἴτε, ἢ ἴτε, ἢ ἴτε*, si coeci essetis, i. e. si coecitatem vestram seu ignorantiam in rebus divinis agnosceretis et manifestaretis confessione, (vid. STOCKII interpr. Graec. cap. 4. §. 82.) impetraretis remissionem peccatorum: *non haberetis reatum et poenam peccatorum*, (vid. BRINCHII l. c. p. 22. sqq.) seu peccatum vobis non tam graviter imputaretur. Omnes homines habent peccatum; I. Io. 1, 8. sed fideles reatum peccati non habent amplius Rom. 8, 1.

Μεγες, manet peccatum vestrum, i. e. reatus peccatorum vestrorum manet, non remittitur.

CAP. X.

v. 1.

Ἄγω ὑμῶν, vobis Pharisaeis Ezech. 34, 2. sqq. *Ἐἰς τὴν αὐλήν, in caulam vel ovile*. Ita vocatur ecclesia N. T. (Eph. 2, 19. Luc. 17, 20. I. Petr. 2, 21. 22. sqq.) propter contemtam ejus in mundo sortem, et propter mansuetudinem fidelium.

Ἐισερχόμενος, legitime vocatus ingrediens Ierem. 23, 21. sqq. Hebr. 5, 4.

Διὰ τῆς θύρας, per januam ingrediens, i. e. per Christum: uti ipse explicat v. 7. 9. quia nemini (in regno gratiae et gloriae) aditus ad Deum patet, nisi per Christum. Ioan. 14, 6.

Act. 4, 12. Scopus Christi, Phariseos objurgantis, videtur celeb. D. CHRIST. WOLLIO hic esse:

1. iniquum est, verum Messiam e civitate sua ejicere; et
2. iniquum est, fidelem Iesu amicum et civem sacrae civitatis expellere; in erudita differt. *de introitu in ovile per ostium* §. 6.

Ἀναχρόθεν ἀναβαίνειν, est non per Christum, sed per Mosen et propriam justitiam in ecclesiam Dei ingredi velle Io. 9, 28. Rom. 9, 31. 32. 10, 3.

v. 3. Ὁ Πνεῦμα ἅγιον, *ostiarus, januae curator*, est Spiritus sanctus, qui Christum glorificat in cordibus hominum, et verbi sui clave pastoribus et ovibus aperit ostium, quia sine hoc nemo ad Christum venire potest. 1. Cor. 12, 3. Act. 20, 28. 1. Cor. 3, 10. et 15, 10.

Ἰδία πρόβατα, *proprias oves* vocat *nominatim* (Ies. 43, 1. Cant. 2, 16.)

- 1) *propriae oves* Christi sunt omnes illi, qui per fidem ex Iudaeis et gentilibus ad Christum conversi sunt Act. 20, 28.
- 2) *nominatim vocare*, significat *perfectissime cognoscere et amare*.

v. 4. Ὅταν ἔκβαλλῃ, *cum strenue emiserit et eduxerit* sine cunctatione proprias oves, non violenter aut praecipitanter, sed mansuete et clementer. Ita hoc verbum etiam adhibetur Matth. 9, 38. hinc Synonymum v. 3. ἐξάγειν, *leniter educere*, redditur.

Ἐμπροσθεν, *ipso praecedit*, typumque gregis sese praestat. 1. Timoth. 4, 12. Tit. 2, 7. 8.

v. 5. Οὐκ οἶδασιν, *non norunt oves Christi alienorum vocem*, nempe notitia adprobativa et cum laude conjuncta; norunt tamen notitia simplici, quae cum displicentia et aversatione est conjuncta. 1. Io. 4, 1. 2.

v. 6. Παρομοίαν, *similitudinem hanc, seu comparisonem*. Proprie

prie significat apud profanos sermonem viatorum, quo illi taedium itineris pellebant. Parabola Iesus utebatur, ad convincendos et emendandos Phariseos; sed mens eorum erat obdurata. Matth. 13, 13. sqq. Act. 28, 26. 27. 2. Cor. 4, 4.

v. 7. Θύρα, janua sum pastoribus, quos donis tum admistrantibus tum sanctificantibus exorno, et legitima vocatione instruo.

v. 8. Πρὸ ἐμῶν, ante me qui venerunt, scilicet Pseudoprophetae, haeretici, et vos ὀδυνῶν gloriam vobis vindicantes Pharisei, fures et homicidae fuerunt. Quam interpretationem scite tueretur celeb. D. CHR. SIG. GEORGI, theol. Wittenb. in dissert. ad h.l. p. 18 sqq.

v. 9. Θύρα ἐγὼ ἐμῶν, janua sum etiam ovibus, intraturis in ovile. Io. 3, 16. 36. Act. 16, 30. 31. Ephes. 2, 8. 19. sqq. δι' ἐμῶν, per me, fide adprehensum.

Ευρήσει νομήν pastum verum inveniet. Ies. 55, 1. 2. Psalm. 23. tot. Ezech. 34, 14. Io. 6, 35, 51. 54. Apoc. 2, 10.

v. 10. Περὶσσοὺν, abundans, in hac vita, nempe

1. praerogativas fidelium N. T. et
2. cuncta χαρίσματα justificationem insequentia: quem admodum olim in futura vita habebunt περισσώτατον. Ps. 16. ult. et 17. ult.

v. 11. Ὁ ποιμὴν, ὁ καλὸς, pastor ille bonus, qui in V. Testi. promissus Ezech. 34, 23. Ies. 40, 11. (conf. Matth. 3, 17. Io. 1, 29.) et Ps. 23. praedictus, et per Patriarchas, pastores, praefiguratus est. Pastorum apud Hebraeos varios ordines commemorat IKENIVS l. c. p. 589 sq. Qui vitam suam depouit ὑπὲρ, pro ovibus, seu vice et loco ovium, ut haec a morte liberentur: unde oves h.l. non sunt soli electi, (Ies. 53, 6.) ut Calviniani putant; sed omnes homines, (Ps. 119, 176. et 1. Petr.

I. Petr. 2, 25.) qui et omnes de jure debebant esse credentes
2. Petr. 3, 9. I. Tim. 4, 10.

v. 12. Μισθωτός, nempe *adfectu talis*, qui mercedis amore tantum pascit oves, ut Pharisei Matth. 23, 13. 14. 15. 23. sqq. *non officio talis*, quales sunt etiam ingenui doctores a Christo vocati et conducti, Ephes. 4, 11. qui et ipsi habent *proprias*, sibi que conceditas, *oves*, sed *donatitias* Ies. 8, 18. Act. 20, 28. Christus autem habet *proprias*, et quidem *redemptitias* in peculium 2. Cor. 5, 15.

v. 13. Φεύγει, *fugit mercenarius*, qui nempe est *adfectu mercenarius*, soli lucro intentus. I. Petr. 5, 2.

v. 14. Γνωσκω, cognosco, non notitia simplici, sed notitia complacentiae et dilectionis, quia sunt Christi oves. Καὶ γνώσκωμαι ὑπὸ τῶν ἑμῶν, nempe ex verbo, per fidem, et ope unionis mysticae.

v. 15. Καθώς, *quemadmodum* pater me cognoscit, notitia amoris et complacentiae, (quae tamen est essentialis et tantum personis S. S. Trinitatis propria I. Cor. 2, 10. Matth. 11, 27.) ita, *simili*, non *aequali*, modo cognoscor ab omnibus meis. 2. Tim. 2, 19.

v. 16. Ἄλλα, *alias oves habeo*, nempe *gentiles*, post ascensionem meam vocatione solenni accersendos, qui non sunt ex Israelitarum coetu, sed ab illis diversi, et separati Eph. 2, 14. partim ratione nativitatis, quia non ex Abrahamo oriundi, partim ratione religionis. Nihil ergo ex hoc effato ad comprobandum aut *Chiliasmum*, aut *Syncretismum*, aut *Dippeliansismum*, potest produci.

v. 17. Ἰγώσκῃ; *amat me pater*, amore non tantum essentiali, seu propterea, quia eandem cum patre essentiam habeo; (v. 30.) sed propter obedientiam officialem, quia secundum
utram.

utramque naturam ipsi sum obediens, et homines redimo
Matth. 3, 17.

Ἀγαπάω plus est, quam *Φιλῶ*: sicut *amo* plus est, quam
diligo, teste M. T. CICERONE.

Ψυχὴ h. l. est *vita*.

Ἰνα, ut, non significat h. l. causam finalem, sed consecuti-
vum ordinem tantum, quia mors praecedit, et receptio
vitae sequitur. Luc. 24, 16.

v. 18. *Οὐδεὶς*, *nemo aufert vitam a me*, me invito. Et si
Judaei Christum occiderunt Act. 2, 23. id tamen factum est,
quando et quomodo ipse voluit. Immo vitam ipse adnuens
deposuit, animamque tradidit Patri Luc. 23, 46. Pl. 31, 6.
Ioan. 19, 30.

Ἐξουσίαν, *potestatem habeo*, nempe in *propriam vitam*, ut
illam deponere possim, et recipere. Quae potestas erat di-
vina cum humana natura communicata Matth. 28, 18. Haec
soli Christo competit, non ulli alii homini. Hebr. 9, 27. Ergo
Christus propria virtute ex mortuis sese resuscitavit.

Ἐπιτολὴν, *praeceptum*, non praeceptum legis moralis, quod
hominibus omnibus mandatum est, sed praeceptum, ab ae-
terno factum, officii sacerdotalis a Christo exsequendi, quo
satisfecit, pro omnibus hominibus, legem implendo. Psalm.
40, 8. 149.

v. 20. *Μαίνεταί*, *furit*, a diabolo, cujus instinctu haec loqui-
tur, confunditur, et sic turbatur, ut nesciat, quid loquatur.

v. 22. *Ἐγκαινία*, *renovationis aut repurgationis festum*, in
memoriam repurgati templi, per Antiochum Syriae regem
profanati. 1. Maccab. 4, 36-59. Nempe hoc festum *Encae-
norum* inde a 25. die mensis *Kisleu* per octo dies continuos sin-
gulis annis celebrabatur. 2. Macc. 1, 9. 10, 5-6. 7. Esdr. 6,
16, 17. Add. celeb. BRINCHII lib. cit. p. 80. 14. et celeb.

THOMAE GOODWINI Mos. et Aaron p. m. 644. edit.
HOTTINGERIANAE.

v. 23. Στοῶν *ambulacro, s. porticu Salomonis.* Erat extrema et quarta pars templi, quae totum aedificium ambibat. Vocatur Salomonis, quia a Salomone primum fuerat templo additum, cum tabernaculum tribus tantum partibus confirisset. Gentiles ad Deum conversi ibi adorabant. 1. Reg. 8, 47. Conf. D. IKENII lib. cit. p. 70.

v. 24. ἄρεσις, *suspendis, seu suspensam tenes, et in dubio atque incertitudine relinquis.*

v. 25. Ἐν τῷ ὀνόματι, *in nomine Patris, i. e. jussu et voluntate Patris, ejusque virtute, per aeternam generationem a Patre accepta, atque in plenitudine temporis cum humanitate mea communicata.*

v. 28. Οὐ μὴ ἀπόλωνται, *non pereunt oves meae, in aeternum, i. e. nunquam, quae scilicet vocem meam audiunt, et in obsequio perseverant.* Matth. 10, 22. Apoc. 2, 10.

v. 29. Μεῖζων, *major, i. e. maximus omnium est.* Et quidem maximus potestate, viribus et jure. Vnde nemo ipsi eripere potest oves meas, qua bonas oves.

v. 30. Ἐγὼ, *unum sumus, Pater et ego, i. e. una essentia, licet sumus duae personae.* Exod. 23, 21. Sociniani de conspiratione voluntatis intelligunt; sed Christus h. l. loquitur de potestate sua, qua oves suas tuetur, quae eadem est, quam Pater habet, propter unitatem essentiae. Confer. 1. Jo. 5 7 cujus dicti ἀουθενίας praeclare vindicarunt IOAN. GERHARDVS, IO. ANDREAS SCHMIDIVS, et FRID. ERN. KETTNERVS.

v. 32. Ἐκ τῆς Πατρὸς, *ex Patre meo, i. e. ex eadem numero potentia, quam et Pater habet, patravi miracula vere divina in oculis vestris.*

v. 34. Τὸ νόμῳ, lege. Hoc loco νόμῳ significat V. T. (quo sensu etiam legitur haec vox Matth. 5, 18. verbum Dei Israelitis conceditum Rom. 3, 2.) Christus h. l. respicit verba Psalm. 82, 6, 7.

v. 35. Πρὸς ἑς, ad quos, vel de quibus verbum Dei dictum est. Ita enim praepositio πρὸς usurpatur Hebr. 1, 7, 4, 13. Si ergo ii recte dicuntur dii, ad quos verbum Dei est factum, multo magis ille sic vocandus est, qui est ipse λόγῳ, mundi creator. Ioan. 1, 1, 2, 3.

v. 36. ἁγιασας, sanctificavit Pater Christum,

a) secundum humanam naturam impertiendo illi divina idiomata Ioan. 1, 14. Matth. 28, 18. Col. 2, 3, 9.

b) et quidem supra mensuram, qua sanctitatis dona inter homines distribuit. Ioan. 3, 34. Pf. 45, 8. Conf. Theol. mea Curiosa part. I. pag. 13, 14.

c) qua ipsa sanctificatione Pater ipsum consecravit et instruxit ad officium suum obeundum. Hebr. 1, 9. Conf. PE-TRI BRINCHII philol. sacra p. m. 4. Add. Matth. 3, 13. sqq. et D. IO. ANDR. DANZII inauguratio Christi ad docendum multo illustrior quam Mosaica, aliquot dissertationibus ao. 1717. demonstrata.

ἠπέστειλε, misit in mundum Io. 3, 16, 17. Ergo venit de coelo, et est filius Dei: sic opponitur iis, qui dii vocantur ex mundo, seu hominibus. Io. 15, 19.

v. 38. Probat Christus Deitatem suam ex operibus suis, quia opera vere divina patrauerat:

Ἐν ἐμοί, in me Pater est, et ego in Patre sum, vel existo: quia tres personae sunt in una essentia; itaque una persona est in alia, et ubicunque una est, ibi et alia.

v. 39. ex manu, i. e. ex potestate eorum evadebat.

v. 41. Ioannes nullum fecit miraculum, ut inter ipsum et Christum esset manifestum discrimen. Matth. 11, 3. sqq. Conf. S. R. D. IO. DAV. BAIERI dissert. de quaestione: *cur Io. bapt. non fuerit thavmaturgus?*

C A P. XI.

v. I.

Bηθάνια, Latine, *domus pauperis*, quia ibi fuit *nosodochium*. Villa erat ad montem oliveti, prope Hierosolymam sita, ubi Christus, cum interdiu in tempus docuisset, pernoctare solebat in domo *Lazari*, amici Luc. 19, 29. Cap. 21, 37. Marc. 11, 1. Syriaca vox *Loosar* videtur innuere: *ei auxilium debetur*.

(v. 2. Totus hic versus, in *parenthesi* collocandus, prolixius explicatur Cap. 12, 3. sqq. et Luc. 7, 37. et 38.)

v. 4. Πρὸς θάνατον ἔτι, *ad mortem*, nempe ad universalem mortuorum resurrectionem duraturam et constantem *non est* hic morbus ei. inflictus. Io. 9, 3.

v. 5. ἠγάπα, *amabat*, nempe singulariter ac manifesto: quibus multa amoris testimonia exhibuerat, et ab ipsis acceperat.

v. 6. ἤκουε, *audivit* Christus, etiam ex fama publica cognovit.

v. 8. Νῦν, *nunc*, h. l. significat *modo*, *nuper*, *non ita pridem*, nempe ante tres menses. Io. 8, 50. Conf. STOCKII interpr. Graec. cap. 5, 142.

v. 9. Horae Judaeorum pro varijs anni temporibus erant inaequales. Vid. D. IKENII lib. cit. p. 425. §. 3.

v. 10. Ημέρα h. l. est tempus periculi: expers; per *νότα*: autem intelligit potestatem tenebrarum.

v. 11. h. l. Christus absens, nemine indicante, novit et vidit,

dit, Lazarum esse mortuum. Adhibet enim et manifestat suam omniscientiam, cujus usu nunquam sese abdicaverat.

v. 14. Παρηγοία, *confidentia*, i. e. aperte et confidenter eloquebatur, ore libero loquebatur, et rem ipsam, prout erat, enuntiabat Io. 10, 24. 16, 25.

v. 15. Οὐκ ἦν ἐν ἐκείνῃ, *non eram ibi*, nempe ex proprietate humanae naturae, qua vobiscum versor visibiliter: etsi ibi fuerit secundum divinam omnipraesentiam, cujus etiam usu nunquam sese abdicaverat. Conferatur ideo *Theologia mea Dogmatica* p. 184. edit. quartae. Sicuti etiam usu collectionis ecclesiae suae se nunquam abdicavit (Luc. 23, 40. sqq.) quippe quae fini status exinanitionis non adversabantur.

v. 16. Μετ' αὐτοῦ, *cum ipso*, nempe Christo, *eamus et moriamur*, aiebat Thomas, recordatus praeteritae lapidationis contra Christum v. 8. deliberatae. Haec autem Thomas ex metu loquebatur.

v. 18. Quid stadium fuerit, exponit IKENIVS l. c. p. 439.

v. 19. Παρηγοῦσθε τὰς γυναῖκες, *consolarentur mulieres*. Legitur hoc verbum eo significato I. Thess. 2, 11. et 5, 14. Consistebat autem illa consolatio in adhortatione ad tranquillandum animum, et in epulatione funebri, apud Judaeos, et reliquos orientales, usitata.

v. 22. Ὅσα ἂν, *quaecunque forsitan rogaveris*, dabit tibi Deus, etiam recuperationem vitae Lazari fratris.

v. 24. Ἐναστήσει, *resuscitabitur*. Testimonium est, quod Judaei vulgo crediderunt resurrectionem mortuorum, 2. Mac. 7, 14. Id quod celeb. THEOD. DASSOVIVS in peculiari scripto demonstravit. Conf. Matth. 11, 5. et addantur typi Eliae et Elifae.

v. 32. Ἐπεσε, *cecidit*, vel ad pedes ejus sese prostravit,

K 3.

reli-

religiose adorans; non civiliter, ut putat GROTIUS, contra majestatem Christi.

v. 35. Ἐδάκρυσε, *lacrimavit*. Quod de Christo etiam legitur Luc. 19, 41. Hebr. 5, 7. indicat Christum etiam adfectus humanos adsumsisse, sed absque peccato: eosque per se non esse vitiosos. Flevit autem ex amore erga Lazarum, et doluit ejus mortem, a peccatis derivandam.

v. 37. οὐκ pro ἐχθ, *nomine*, etc. Haec sunt Judaeorum verba temeraria et cavillatoria, ex incredulitate profecta.

v. 38. Ἐἰς τὸ μνηεῖον, *ad sepulcrum* venit Christus, deferturus apud sepulcrum, pro more Judaeorum, mortuum, non in sepulcrum, quod erat clausum, et unde evocavit Lazarum. Quo sensu εἰς legitur passim. Vid. Matth. 15, 24. Luc. 11, 49. Act. 16, 40.

v. 41. Δόξαν τῆ Θεῶ, *gloriam Dei* videbis, i. e. opus, quod tendit ad glorificandum Deum. Nam *effectus* ponitur pro *caussa*, metonymice.

Ἐξήκουσάς με, *exaudivisti me*.

α) hoc ad humanam naturam pertinet, cui potestas excitandi mortuos data Matth. 28, 18.

β) testatur etiam de omniscientia communicata, et exemplo est, quod debeamus in precibus nostris certo confidere, quod exaudiamur 1. Joh. 5, 14. 15. I. C. H.

Ad. v. 49 - 52. conferatur IO, VAN DEN HONERT Theolog. Emblem. p. m. 314.

v. 43. Φωνὴ μεγάλη, *voce magna*. Qua fiet universalis omnium resuscitatio. Matth. 24, 31. 1. Thefl. 4, 26. Quae magna erit non tam sono, quam virtute et efficacia. Io. 5, 25.

v. 45. Ἐπίστευσαν, *crediderunt* quidam Judaei, fide tantum imbecilli, quia magnificabant miracula et Christi potentiam suscipi.

spiciebant; licet nondum confirmata satis erat fides ex verbo, quo niti debet I. Petr. 1, 23.

v. 49. Ἀρχιερεὺς, summus sacerdos Caïphas illius anni erat, cum Hanna focero alternans. Quod indicium erat, sacerdotium typicum jam fuisse finitum, et adventasse verum pontificem Christum. Hebr. 7, 21. sqq.

v. 50. ἓν ἐστὶν τὸ λαὸν, pro populo redimendo, unus homo, Christus nempe, mori debet Matth. 10, 28.

1) Hoc vere dicebat Caïphas: nam ita praedictum erat Ies. 53, 4 et 15. sed non intelligebat ipse. Vid. D. RAMBACHII Herm. sacr. p. 348.

2) indicium hoc est, quod et impii et imprudentes ministri salutaria docere possint. I. C. H.

v. 52. Καὶ τὰ τέκνα, etiam filios Dei dispersos, qui sunt gentiles, ad Christum debebant Apostoli vocare. Judaei putabant, Messiam solis gentilibus fore proprium Ies. 9, 3. II, 3. sqq. Nam omnes homines perdit in Adamo, omnes, restituenti sunt in Christo Rom. 5, 12.

v. 55. ἵνα ἀγιάσωσιν, ut mundarent se, nempe curarent se adspergi aqua, commixta cineri vaccae rubrae Num. 19, 11. sqq. Pl. 51, 9. qui ritus Leviticus indicabat, quod sanguine Christi simus purgandi. I. lo. 1, 7. Conf. BRINCHII l. c. p. m. 6. sq. et D. IO. BENED. CARPZOVII dissert. de vacca rufa.

CAP. XII.

v. I.

Πρὸ ἕξ ἡμερῶν τῆς πάσχα, i. e. sex diebus ante Pascha, ut recte vertit D. M. LUTHERVS. Verba enim Graeca ita collocanda sunt; ἕξ ἡμερῶν πρὸ τῆς πάσχα, sex dierum tempore ante Pascha. Male ergo vulgaris versio habet: ante sex dies Pascha-

Paschatis; quo ipso nullum certum adventus Christi tempus ponitur, et festi Paschalis tantum sex dies statuuntur, quod tamen septiduum integrum durabat.

v. 8. οὐ πάντοτε, *non semper me habetis*. Vnde Calviniani negant, humanam Christi naturam esse omnipraesentem; sed perperam: quia Christus loquitur de praesentia visibili et naturali, quae non semper duratura erat; *communicative* tamen et *majestaticè* semper est praesens Matth. 28, 20. Marc. 16, 20.

v. 10. Ἐβλεύσαντο, *deliberabant pontifices*, et quidem continentèr de Jesu interficiendo, quod jam ante fecerant. Videatur Io. 11, 47. 54. denique triduum ante Pascha Matth. 26, 23.

v. 12. Τῇ ἐπαύριον, *postridie*. Erat dies X. Aprilis Exod. 12, 3. quo agnus paschalis eligebatur, die XIV. hujus mensis mactandus, ut adparet ex l. c. v. 6. An interim circumductus cum floribus ramis et tripudio? (ut volunt quidam pontificii probare) ex antiquitatibus Judaicis comprobari non potest.

v. 13. Τὰ βῆλα, *frondes*, vel ramos palmarum praeferebant Christo. Nam Judaeis mos erat, principibus et regibus obviam ire et gratulari, praelatis palmarum ramis, ut fecerunt Simoni, post illustrem victoriam I. Maccab. 13, 51. Hic mos, iudice BRINCHIO (lib. cit. p. 229.) originem deber mandato Dei, Levit. 23, 40. Add. Ps. 118, 25. sq. et Matth. 21, 8. 9.

v. 14. Ὠνάριον, *aselus*. Quo usurum esse Christum in ingressu Hierosolymitano praedixerat Zacharias cap. 9, 9. Conf. Gen. 22, 3. 4. 5. 49, 11. Judic. 5, 10. Joan. 15, 1. Act. 13, 46.

v. 20. Ἕλληνας, *Graeci*. Non fuerunt natione Judaei, Graeca tantum lingua loquentes; sed gentiles, qui ad religionem Judai-

Judaicam accefferant, et praecepta Noachica receperant. Vid. IOANNES SELDENVS de jure naturae et gentium Lib. I. c. X. et GVST. GEORG. ZELTNERVS in glossa ad h. l.

v. 23. Δοξασθῆ, *glorificetur*. Christus glorificatus est per passionem et satisfactionem pro nobis, quia devicit hostes suos et nostros, et per quem ingressus est ad gloriam. Luc. 24, 26. Hebr. 10, 9. 10, 11. postea etiam per resurrectionem, ascensionem et effusionem Spiritus S.

v. 24. ἄποθανῆ, *morietur* granum frumenti: non extinguitur vitalis grani vis, sed granum in aliam essentiam mutatur, sicut homo, cum moritur, non manet mere naturalis homo I. Cor. 15, 36. 37. 42. Levit. 23, 10. 11. I. C. H.

v. 27. Τεταράκται, *perturbata* est anima mea: nempe propter imminentem mortem, tam naturalem, quam spirituales, et aeternam. Vid. D. RAMBACHII sententia *de morte Christi spirituali*.) Quam pro nobis omnibus degustavit. Hebr. 2, 9.

v. 28. Δόξασον, *glorifica nomen tuum*, i. e. perfice per me redemptionem humani generis, ut nomen tuum glorificetur, tanquam veracis, justi et gratiosi. Conf. BRINCHII l. c. p. 73. sq. et *Theolog. meam Dogmat.* p. 195. sq. edit. quartae §. 27. Christus orat id, quod sciebat Deum velle; sic et nos oportet orare secundum ejus voluntatem. I. Io. 5, 14.

Εδόξασα, *et glorificavi*, nempe in baptismo Matth. 3, 17. et in monte Thabor Matth. 17, 5. sqq. et iterum glorificabo, nimirum hodie et post resurrectionem in statu majestatico. Io. 17, 5.

v. 30. Δι' ἐμὴ, *propter me*, haec vox non est facta, i. e. non ad me docendum et confirmandum, sed ad vos convertendos et confirmandos. Haec vox erat quaedam divinae revelationis species; cujus septem vulgo adducuntur in Scriptura sacra.

L

I) Vi-

- 1) *Viso* seu *θεοφάνεια*, *adparitio* :
- 2) *filia vocis*, seu vox de coelo audita, sive *alloquium*. Quomodo *filia vocis* differat ab *alloquio*, ostendit celeb. CAMP. VITRINGA in *Obs. sacr.* lib. 6. cap. 9. et 10.
- 3) *inspiratio*,
- 4) *somnium*,
- 5) *fors* aut *sortitio*, das *Εοοση*.
- 6) *adparitiones angelorum*.
- 7) *Vrim et Tbummim*, in pectorali summi sacerdotis. Conf. celeb. D. IO. ERNESTI SCHVBERTI introd. in Theol. Revel. p. 294. sqq. §. 236.

v. 31. *Νῦν κρίσις*, *nunc iudicium est mundi*, i. e. jam, dum ego patior et satisfacio pro peccatis, mundus seu homines mundani iudicantur et damnantur, quia non credunt. Ioan.

3, 19. Nempe iudicium

- 1) *discretivum*, quo discernuntur fideles ab infidelibus,
 - 2) *condemnatorium*, quo increduli damnantur, Io. 16, 8.
 - 3) ubi Christus non est iudex; sed occasio tantum, fidelibus quidem ad salutem, infidelibus autem ad damnationem.
- ὁ ἀρχὼν τῆς αἰῶνος τῆς γῆς *princeps mundi* hujus ejicietur nunc: (Ephes. 6, 12. Io. 14, 30.)

- 1) *meritorie*, dum Christus meruit nobis, ut diabolum et peccatam propellere possimus, dum ejus meritum fide recipimus:
- 2) *actu ipso*, cum meritum Christi fide nobis adplicamus, Rom. 16, 10. dum eum cordibus fidei plenis excipimus. Iac. 4, 7. Eph. 6, 12 - 18.

v. 32. *Πάντας*, *omnes trabam ad me*, nempe per praedicationem evangelii in toto mundo: nam adhuc solemniter modo tantum Judaeos traxi, postea autem omnes gentes. Io. 6, 44. Matth. 28, 19. Christus h. l. intelligit tum exaltationem *ignominii*.

miniosam in crucem (Vid. D. BVDDEI differt. in h. l.) tum *gloriosam* ad dextram Patris.

v. 34. *Εκ τῆς νόμου*, ex lege audivimus, Christum in aeternum esse mansurum: nimirum

1) ex lege generaliter sic dicta, seu tota scriptura V. T. quae legem et evangelium complectitur. Pf. 1, 2. et 119. passim.

2) sigillatim autem ex Pf. 110, 4. Daniel. 7, 14. Mich. 5, 1. 2. Pf. 102, 25. sqq. Coll. Hebr. 1, 10. 11. 12.

v. 35. *Μικρόν*, sc. *χρόνον*, parvum tempus sum vobiscum, i. e. moriturus sum, et visibilem praesentiam vobis subtracturus. *ὥς*, dum lucem habetis: non praecise me visibiliter praesentem; sed dum lucem vitae naturalis, et evangelium, vitae spiritualis lucem, habetis; ambulate, et illam sequimini: nam Christus est lux mundi. Joan. 1, 5. et 9. quia ubi vis lucet, quamdiu haec vita durat Luc. 16, 21. ne *σκότος*, tenebrae, vos qui jam in tenebris estis, penitus involvant et pessumdent.

v. 36. *Ἴδιὸς φωτός*, filii lucis fieri debemus, i. e.

1) filii Christi, qui est lux. Jo. 1, 5. Ephes. 5, 9.

2) quia ex evangelio, luce gratiae, regenerandi sumus 1. Petr. 1, 23.

3) hic ostenditur, falli ac decipi Socinistas, cum docent, fideles in Scripturis nusquam dici filios Christi.

v. 38. *ἴτα*, h. l. non significat ut, quo; sed, ita ut.

v. 39. Vera versio haec est: Ideo volebant credere. Marc. 4, 5. Act. 4, 20. 17, 19. 2. Cor. 13, 8. Conf. Grammat. mea Graecae p. 143. §. 12.

v. 40. *Ἐπίφωσκος*, excoecavit, permissive ex justo iudicio. Particula *ὥς* h. l. significat quia, uti Luc. 8, 10.

Joan. 8, 56. Add. Jes. 6, 9. 10. et D. SEB. SCHMIDII Commentar. in Jes. ad h. l.

obv. 42. Conf. celeb. IKENII Ant. Hebr. p. 410.

v. 43: Μαλλον, *magis amabant*, i. e. malebant honorari ab hominibus, quam a Deo, qui fides in ipsis erat luctans, haesitans et titubans; erat tamen vera, quia et infirma fides vera est Matth. 12, 20 Act. 8. 13.

v. 44. Ου πιστευει, NON SOLVM *credit in me*, SED ETIAM *in eum, qui misit me.*

v. 46. sq. Conf. IO. VAN DEN HONERT Theol. Typ. p. 98.

v. 50. Ευκολη, *praeceptum*, sicut interdum מורה in V. T. h. l. denotat evangelium, et evangelicam de ordine salutis doctrinam, eatenus causam vitae aeternae, quia nos ad vitam perducit. Rom. 1, 16.

CAP. XIII.

V. I.

Προ εορτης, *ante festum Paschatos*, nempe die Jovis post horam septimam vespertinam, qua incipiebat dies Veneris, et durabat vicissim ad eandem horam. Christus ergo legitimo tempore comedit Pascha; Judaei autem illud rejecerant in sabbathum praecedens, quia ordinarius dies incidebat in diem praeparationis. I. C. H. Varias de die, quo Christus agnum Paschalem comederit, sententias vide in *Obs. meis in Matth.* p. 77. et in *Luc.* p. 48. 49. *Qua hora ipsius Christi*, quam Christus elegerat, et destimaverat suae passioni, et qua hostibus potestatem sui facturus erat, (Joh. 10. 18.) ipseque transurus ad Patrem:

Τεις υιους, *proprios*, sibi deditos, scilicet *Apostolos seu discipulos*, quos ipse elegerat et ministerio Evangelii destinaverat. Matth. 10, 1. sqq.

v. 3. Παντα abiit, non motu locali, quo etiam non venerat in mundum, sed modo tantum peculiari adestendi. Nam per adventum in mundum coepit esse visibiliter in terra, in mundo

mundo manifestatus, 1. Tim. 3, 16. perabitu[m] desit adesse visibiliter, etsi invisibili modo semper adsit. Matth. 28, 20.

v. 4. sqq. De lotion[e] pedum apud Hebraeos differit celeb. IKENIVS in *Ant. Hebr.* p. 553. sq.

v. 6. *Ὁὐ ἴππτεας*; num tu lavas? Pontificii contendunt,

1) Petrum fuisse primo lotum, ut innueretur *privatus Pontificis*.

2) Petrum non peccasse, dum recusaverit lavari; sed utrumque falsum est: et peccasse eum patet, quia taxavit Christum et pertinaciter contradixit, et proprio arbitratu humilitatem adfectavit. Matth. 15, 9. I. C. H. Infaustus iste impostor, NIC. LVD. ZINZENDORFFIVS, qui lotionem pedum *sacramentis* adnumerare audeat, nihil h. l. invenit praesidii.

v. 7. *Ὁὐκ οἶδας ἄγετι*, non nosti jam, nunc. (Sic ἄγετι adhibetur Matth. 3, 15. Gal. 1, 9. 10. I. Cor. 13, 12.) Nempe quod tibi, et reliquis Apostolis exemplum humilitatis, et officiositatis, praebeam, quod imitari debeatis. conf. comma 13.

v. 8. *Μὴ ἐμὲ*, mecum non habes partem, non eris coram throno meo particeps gloriae divinae aut cohaeres meus, (Rom. 8, 17. Apoc. 3, 21. nisi lotus fueris meo sanguine in ara crucis effundendo, meo merito per fidem tibi adplicato: I. Joan. 1, 7. quae lotio spiritualis h. l. per corporalem innuitur et adumbratur.

v. 12. *Τί πεποίηκα*; quid? i. e. propter quid? et propter quam causam, hoc vobis fecerim? Πάλω h. l. significat, iterum, rursus, uti Matth. 4, 8. Act. 17, 32. Rom. 15, 10.

v. 21. *Ἐταράχθη*, perturbatus fuit et vehementer commotus spiritu,

- 1) propter Judae defectionem et damnationem aeternam:
 2) propter ejus malitiosam hypocrisin, qua dissimulaverat proditionem, dum coenae ipsius interfuerat. Matth. 26, 21.

v. 23. Ἐν τῷ κόλπῳ, *in sinu Christi, accubebat* Joannes, (cap. 19, 26. 21, 7.) dextrumque Christus latus clausit. Nempe

- 1) respicitur vetus discumbendi mos populis orientalibus usitatus, quoad mensam cubebatur sinistro cubitu, et secundus ante primum accubebat. Conf. celeb. TH. GOODWINI Mos. et Aar. p. m. 500. fqq.

2) inde intelligitur aliquo modo locus *de sinu Abrabae* Luc. 16, 23. collato Matth. 8, 11.

v. 25. Ἐπιπεσὼν, *incidens*, i. e. reflectens sese et admovens Johannes pectori Christi. Er wandte sich und rückte an die Brust Christi.

v. 27. Ἐισήλθεν ὁ σατανᾶς, *corporaliter eum inhabitando. Πόληρον τὰ χεῖρα, fac cito.* Non mandat Christus peccatum, sed indicat, quid Judas facturus sit, et se promittit obedientem fore voluntati patris.

v. 31. Ἐδοξάσθη, *glorificatus est* (Joan. 12, 22.)

1) Christus, tanquam universalis redemptor, per passionem et triumphationem instantem; (Rom. 1, 4.) nam praeteritum h. l. ponitur pro actione jam jam futura, stylo prophético.

2) Deus Pater glorificatus est per mortem Christi, tanquam justus judex in puniendo Christo, Jes. 53, 4. fqq. Galat. 3, 13. tanquam misericors in redimendis hominibus, Rom. 5, 8. 2. Cor. 5. ult. et tanquam verax in implendis omnibus promissis ab inito factis Gen. 3, 15. Psalm. 22, 1. fqq.

v. 32. Ἐν ἑαυτῷ, in semetipso Deus glorificabit Christum: dum pater ipsi universale, licet invisibile, regnum ejusque administrationem conferet Col. 3, 3 et 4. Phil. 1, 21. 1. Cor.

15, 43.

v. 34. Ἐπολὴν καινὴν, praeceptum novum;

1) non argumento: sic etiam fuit jam comprehensum in decalogo. (Vid. IOAN. IACOBI LEHMANNI disert. de praecepto novo.)

2) neque prorsus aliud et diversum a X. praeceptis, ut Sociniani volunt, quos refutatos videbis in D. BVDDEI Theol. Mor. part. 2. cap. 1. §. 11. 13.

3) sed novum ratione modi, quo servandum et praestandum est, nempe ex pleniore fide in Christum, et ex largiori Spiritus sancti cooperatione. Conf. 1. Io. 2, 7. 8. cum D. IO. ACH. LANGII Commentar. in h. l.

v. 36. Ἵστερον, postmodum sequeris me, nempe ad crucem. Io. 21, 18. Petrus Romae, a Nerone condemnatus, cruci affixus dicitur, inverso ad terram capite. Vid. D. IO. ANDR. SCHMIDII hist. festor. p. m. 156.

v. 38. Ὅ μὴ, nequaquam clamabit gallus, i. e. alterum cantum suum non ante absolvet, quam tu me ter abnegaveris. Vid. Marc. 14, 30. Judaei enim medium galli cantum maxime memorabilem censebant. Id quod scire adnotavit celeb. ZELTNERVS.

C A P. XIV.

v. 2.

Oικία, domus, h. l. significat regnum gloriae coelestis, ad quod Christus abiturus erat, eoque fideles ducturus. Io. 17, 14. Hebr. 11, 10. 2. Cor. 5, 1. 2. 3.

Μοναὶ πολλαί, habitationes multae.

1) Vox bis legitur: videatur v. 23.

2) Signi-

2) Significat coelestem beatorum gloriam, quae

a) aeterna Matth. 25, 34.

b) capacissima, quia multos recipit;

c) varia pro diversitate salvandorum 1. Cor. 15, 41. et 42.

d) quietissima Luc. 16, 23.

Nisi ita sese res haberet, vobis profecto adnuntiavem. (Nam abeo praeparatum vobis sedem.

v. 3. Ἐὰν πορευθῶ, postquam, (pro ὄρε) abiero: uti 1. Io. 3, 2. et Ioan. 13, 20.

Πάλιν ἔρχομαι, iterum venio, i. e. redibo, nempe ut vos eripiam ex periculis, in agone mortis vobis sim solatio, et postmortem animas vestras ad me recipiam. Act. 7, 56. 59. et Io. 21, 22.

Ὃπου ἔγωγε εἰμι, ubi ego sum, ibi et vos sitis. Ioan. 17, 24. 14, 18. Denotat statum

1) non praesentem exinanitionis, sed futurum gloriae,

2) non tamen majesticum, et infinitum, qui soli Christo homini contigit Apoc. 2, 21. sed finitum, qui Christo cum beatis erit communis Philipp. 3, 21. Rom. 8, 17. 2. Tim. 2, 10. 11. 12.

3) I. C. H. Liquer inde, errare eos, qui putant, Christum hominem in statu exinanitionis fuisse in visione beatifica.

v. 4. Οἰδᾶτε, scitis, i. e. scire dudum possitis et deberetis, quia toties id expressis verbis docui.

v. 5. Τὴν ὁδὸν, viam, quomodo scire possumus? Distinguendum inter viam Christi, et viam nostram. Via Christi erat per passionem et mortem ad gloriam majesticam atque infinitam Luc. 24, 26. Via nostra est Christus ipse, vera fide adprehendendus est tenendus v. 6. hanc discipuli scire poterant et debebant.

v. 6. Ἢ ὁδοῦ, via est Christus

1) non exemplariter tantum, quod ex exemplo suo monstrare.

straverit, quomodo coram Deo ambulare et sancte vivere debeamus I. Petr. 2, 21.

2) sed etiam *meritorie*, praecipue, quia nobis meritus est iustitiam Rom. 3, 24. praedestinationem Eph. 1, 4. et regenerationem ac renovationem. Ies. 35, 8. Ephes. 1, 13. I. Ioan. 5, 20.

v. 7. *Εἰ ἐγνώκετε, si cognovissetis me*, i. e. si me nossetis ratione essentiae et personalitatis, quod sim verus essentialis Deus, et aeternus Dei filius, Io. 1, 14. etiam nossetis in me ipso patrem, quia filius declarat patrem, tanquam ipsius gloriae character et imago, Hebr. 1, 3. Coloss. 1, 15. Pf. 2, 7. 2. Cor. 4, 4.

v. 8. *Δείξον, ostende patrem*, nempe oculariter, ut oculis ipsum videamus, sicut te videmus. Nam fieri id posse credebatur Philippus, quia Christus dixerat, ipsos vidisse patrem v. 7. Sed hominum est, in hac vita videre patrem in speculo naturae Rom. 1, 21. et scripturae; 1. Cor. 13, 12. plus itaque postulabat Philippus, quam par erat.

v. 9. *Ὁὐκ ἐγνώκας, non nossti?* i. e. non didicisti me cognoscere? quoad *personam*, quod sim Θεὸς υἱὸς Θεοῦ: quoad *officium*, quod sim redemptor: et quoad *doctrinam*, quod sim doctor salutaris veritatis Io. 3, 2.

v. 10. *Ἀπ' ἐμαυτοῦ, a me ipso non loquor*, ut homo nudus, sed tum ut magnus propheta ex sinu Dei patris Io. 1, 18. i. e. secundum voluntatem Dei patris: tum loquor *a Patre*, sicut ab ipso essentiam habeo, et ejusdem cum ipso sum essentiae I. Io. 5, 7. a quo etiam facio τὰ ἔργα opera miraculosa; namque quae facit Pater, eadem facit et Filius Io. 5, 19.

v. 11. *Πιστεύετε μοι, credite mihi*, i. e. adsentimini mihi, et verba mea pro verissimis agnoscite.

v. 12. *Τὰ ἔργα, opera,*

M

1) meis

- 1) *meis similia* facient credentes,
- 2) *majora et plura meis*, quia omnibus linguis loquentur, Act. 2, 4. diutius et latius populis omnibus doctrinam evangelicam spargent, Marc. 15, 15. Rom. 10, 8. Col. 1, 6. et numero plura facient miracula, quam Christus ipse fecit, Act. 5, 5. sqq. 15. 16. et cap. 19, 11. 12. 8, 19. 20, 12. 9, 33. 36. Vid. celeb. D. WALCHII *differt. de praerogativa fidelium in operibus prae Christo*, ad h. l.
- 3) ratio additur, quia Christus ad patrem abibat et usum plenarium divinae majestatis inchoabat.

V. 13. 14. *Τῶτο ποιήσω*, hoc faciam, quod orabitis in nomine meo. Faciam illud, dum ut mediator pro vobis intercedam, et ut dominus vos exaudiam, una cum patre. Nam Christus utroque officio fungitur, *intercessoris* Rom. 8, 34. et *regis seu domini* Matth. 28, 18. Adoramus enim filium propter filium ipsum.

V. 15. *Τὰς ἐντολάς, praecepta*, i. e. doctrinas, a me propositas, sive ad legem, sive ad evangelium pertineant. Quo laxiore sensu haec vox passim usurpatur, e. g. 1. Io. 3, 23. Itaque etiam *ἠρεῖν* significat non tantum facere, quod erga legem necesse est sed, et credere, quod requiritur erga evangelium Rom. 10, 16. Io. 13, 34.

V. 16. *ἄλλον, alium consolatorem*. Nam

- 1) Christus est consolator noster apud Deum 1. Io. 2, 1.
- 2) Spiritus sanctus etiam est consolator, sed alius, seu alia persona a Christo diversa.
- 3) Christus consolatur per proprium meritum; Spiritus sanctus per alienum, Christi scilicet. Christus nostram causam apud Patrem agit, quod et Spir. S. facit; Spiritus S. quoque Patris causam in nobis agit.

4) *uter*.

4) uterque intercedit pro nobis Rom. 8, 26. et 34.

v. 17. Ὁὐ θεωρεῖ, non videt mundus incredulus Spiritum sanctum, i. e. non credit, nec recipit illum, quia mediū, per quae ille datur, non recipit. *Videre idem est, quod agnoscere.*

Παρ' ὑμῶν μένει, qua donatum sanctificantia, tum admini-
strantia.

v. 18. ὁφθαλμοῖς, orbos parente aut consolatore vos non sinam.
Nam venio ad vos

1) visibiliter post resurrectionem Io. 20, 20.

2) invisibiliter per verbum et sacramenta in fide, quo modo apud vos manebo, gratiose cooperans in propaganda doctrina Evangelii.

v. 19. ὁ κόσμος, mundus, i. e. homines increduli me non amplius, neque oculis corporis, neque oculis fidei, videbunt.

v. 20. Γινώσθε, cognoscetis in illa die: nempe postquam ego resurrexero, et vobis dederō Spiritum S. tum vos penitus eritis edocti, quod ego in patre, propter unitatem essentiae, I. Io. 5, 7. et quod vos in me per fidem et unionem mysticam Eph. 3, 17. atque ego sim in vobis per potentiam et gratiam Ephes. 1, 19.

v. 21. ὁ ἔχων, habens meum verbum, i. e. κατέχων, mente comprehensum tenens et faciens.

Ἐμφανίσω, me conspicuum reddam illi. Nempe

1) oculis corporis ejus, post resurrectionem meam Act. 10, 40.

2) oculis mentis, per verbum praedicatum, per omne vitae tempus. Erant *Weigeliani* et *Enthusiastae*, qui haec de adparitionibus externis intelligunt. Conf. celeb. D. GVST. GE. ZELTNERI breviar. *controv. cum Enthusiastis et Fanaticis.*

v. 22. Τί γέγους, quid factum est, nempe a mundo? aut quid designavit mundus mali? quod te ipsi non vis revelare? Re-

sponsio legitur v. 23. quia mundus repudiat verbum Christi. Itaque h. l. sermo est de *voluntate* Christi *consequente*. Nam antecedente vult omnes illuminare 1. Tim. 2, 4.

v. 23. Cui, oblati invocatione beneficii gratiae, placebo; is ordinem salutis a me revelatum observabit, ut justificetur. Καὶ, posthac Pater in ἰσοθεσία demonstrabit suum amorem, et nos ἰλευσόμεθα, veniemus (ego et Pater, et Spiritus sanctus) ad eos, qui me amant.

1) De adventu gratioso et influxu operationum gratiosarum loquitur, quo fidem auget et corroborat, et de gratia sua certos reddit. Conf. IO. IAC. MULLERI lib. de unione mystica.

2) De adventu continuato, quo magis magisque se coniungit fidelibus, et in ipsis permanet gratiosa operatione sua 1. Cor. 3, 16. Conf. D. PHIL. LVD. HANNEKE-NII differt. de domicilio Dei intra hominem fidelem.

v. 24. Μὴ ἀγαπῶν, non diligens, non servat verbum meum. Verbum, quod auditis, non solum est meum; sed etiam Patris, qui me misit.

v. 26. Ἐν τῷ ὀνόματί μου,

1) in nomine meo, Pater mittit Spiritum sanctum, i. e. per me, tanquam secundam Deitatis personam, et virtute meriti mei tanquam mediatoris Io. 16, 7.

2) propter me, et ad gloriam meam, seu ad me glorificandum l. c. v. 24.

3) meo rogatu et merito Io. 14, 16. Nam Christus semper orat pro ecclesia.

4) quia et a me et a Patre procedit.

Διδάξει, docebit Spiritus S. omnia, et in memoriam revocabit omnia. Docebit omnia illa, non alia, quam quae ego docui, Io. 15, 15. et officio suo mnemonico fungetur. Ergo

1) ni-

- 1) nihil recipiendum, quod non exstat in sacro codice;
 2) Spir. S. naturali imbecillitati memoriae humanae succurrit. Vid. b. D. Chr. WEISH differt. *de officio Spir. S. mnemonico*, et b. D. BVDDEI differt. *de discrim. nat. et gratiae circa memoviam*.

v. 27. Ἐπιένον, *pacem relinquo vobis*: nempe pacem conscientiae cum Deo Phil. 4, 7. quae speciatim dicitur *pax Christi*, quia per ipsam est acquisita, Coloss. 1, 20. Rom. 15, 13. et *pax Dei*, quia cum Deo nos copulat. Opponitur paci mundanae, quae fallax est et inconstans. Io. 16, 23.

v. 28. Μεζωv, *major Pater me est*, nempe secundum humanam naturam, et praecipue secundum officium mediatorium, et in statu exinanitionis, spectato. Inde falso colligunt Soci-niani, quod filius non sit Deus. Io. 10, 30. Rom. 9, 5. 1. Cor.

II, 3.

v. 30. Οὐκ ἔδδεν, *nihil omnino in me potestatis habet diabolus*.

- 1) Habet ille quidem potestatem mortis. Hebr. 2, 14. h. e. mortem inferendi, quia peccatum intulit in mundum; Rom. 5, 12.
 2) sed Christus non fuit inquinatus peccato: Hebr. 7, 26. itaque nec diabolus ei mortem intulit; sed ille vitam sua sponte deposuit. Io. 10, 18.

v. 31. *Sed ut homines intelligant, me Patrem amare, ejus gloriam illustrando: et me facere, quae in aeterno decreto (Psal. 40, 9.) Pater mihi imposuit; ἀγῶνεν, eamus obviam morti. Vos testes eritis coram totomundo, me sponte mea morti me obrulisse, et perfecisse voluntatem Patris mei coelestis.*
 Luc. 18, 31.

CAP. XV.

V. I.

H *ἀμπέλῳ*, vitis. Quia Christus discipulis cum et sub vino sanguinem suum bibendum dederat Math. 26, 29. nunc ait, se esse veram vitem, cujus sanguis ipso sit recreaturus, I. Io. 1, 7. sicut vinum recreat cor hominum Ps. 104, 15. Dicitur autem *vera vitis*, quia in V. T. per auream vitem in templo praefigurata fuit, non *naturaliter*, sed *spiritualiter et mystice*. Vitem esse insigne emblema etiam fidelium, commonstrat IO. VAN DEN HONERT in Theol. Embl. p. 224. sq. Add. Ies. 27, 3.

v. 2. *Κληῖμα*, *palmes*. Alius est *pampinarius*, qui tantum folia profert; alius *fructuarius*, qui potros fert. Ille referatur, ut membrum ecclesiae putridum; non hic. Rom. 4, 5. Iqq. I. C. H.

v. 3. *Καθαροὶ*, *puri jam estis, omnes discipuli mei*, ob finalem, quam praevideo, fidem: postquam impurus Judas a nobis secessit. Vid. Cap. 13, 10.) Puritas autem vestra est ex verbo meo, seu evangelio, quod vobis meritum meum adplicat.

v. 4. *Μένετε*, *manete in me, ut fructum feratis*:

1) fructum status *justificationis* et status *quiescentiarum*.

2) fructum *sanctificationis*, quo pie vivatis ad gloriam Dei Math. 5, 16.

3) fructum laetae adnuntiationis Evangelij, quo alios ad Christum convertatis. Conf. doctissimi GE. A ROTH, equ. Hung., *Theol. Thetico-Bibl. Loc. XXII. de unione mystica*.

v. 14. 15. Ergo apostoli et docuerunt et scripserunt ex inspiratione et revelatione Iesu Christi. Conferat. D. MICH. FOERTSCHII dissert. *de div. sacrar. litterar. inspiratione*.

v. 20. *Ἰνσπῆν* h. l. est *insidiosè observare*, ut Luc. 11, 53. Iq.

14. I.

14, 1. uti jam observarunt D. ZELTNERVS in *glossa* ad h. l. et D. RAMBACHIVS in *Hermen. sacr.* p. 282.

v. 26. Ex h. l. processio Spiritus S. a Patre et Filio demonstrari potest: quam etiam ex Ies. 44, 3. comprobavit D. JOACH. EHRENF. PFEIFFERVS in peculiari programme,

v. 27. Conferantur Act. 1, 8. 5, 32. 10, 39. 41.

CAP. XVI.

v. 1.

Scandala rei Christianae noxia suos discipulos remove-
re juber Salvator.

v. 2. De excommunicationis gradibus exponit D. IKENIVS lib. cit. p. 410. sqq. Ceterum praedicit Iesus, fore, ut occaecati Judaei opinarentur, se Christianos occidendo non minus Deo gratificari, quam si gratas illi immolassent hostias. Vide BRINCHII l. c. p. 132. sq. *Ἄλλὰ* h. l. significat *quin immo*.

v. 3. Zelus falsus oritur etiam ex ignoratione veri Dei cultus. Vid D. HEVMANNI *dissert. de Zelo*.

v. 5. *Abitus Christi ad Patrem* complectitur ejus passionem, mortem, resurrectionem et ascensionem in coelum.

v. 8. 9. 10. 11. *Ἐπίστευτε* est *graviter convincere*. Ex h. l. ordinem salutis demonstrari posse, jam docuit D. ZELTNERVS.

v. 13. Spir. S. non loquetur per vos ex suo arbitrio, diversa ab iis, quae Pater et ego docuimus; sed quae novit ex omniscientia aequaliter aeternā.

v. 14. 15. Spir. S. *glorificat* Iesum tum in toto mundo per praeconium Evangelii, tum in cordibus singulorum fidelium Conf. D. MART. CHEMNITII *Loc. Theolog.* p. 253. et BRINCHII lib. cit. pag. 76.

v. 23.

v. 23. Ideo adorandus est Pater per meritum Christi.

v. 24. Adhuc nihil rogastis in nomine Messiae *Ἰανθεῶς*, in statu exinanitionis constituti; rogate vero postero tempore in meo nomine. Conf. ZELTNERVS ad h. l.

v. 26. Illo tempore, quo exaltatus fuero ad dextram maiestatis diuinæ, cum plena fiducia orabitis in nomine meo. *Non solum* (ut vertendum censet D. IUSTVS FEVERBORNIUS) *dico vobis, me pro vobis apud Patrem intercessurum esse.* Rom. 8, 15. 34.

v. 30. *Ἐν τῷ κόσμῳ* scil. *πράγματι*, hanc ob causam.

v. 33. *Vici mundum*, i. e. satanam, hujus Principem mundi Ephes. 6, 12. ejusque socios, pravos mundi homines. Joan. 14, 30. Coloss. 2, 14. 15. 1. Joan. 5, 2. 3. 4.

CAP. XVII.

V. I.

Δ *ἄρασόν σε τὸν οὐδὸν*, in instantibus cruciatibus, pro peccatoribus sustinendis, eum corroborando: mortem ejus miraculis illustrando: a mortuis eum resuscitando et ad dextram tuam exaltando. Ies. 52. 13. 14. 15.

v. 3. *In eo consistit ordo et ratio impetrandi vitam aeternam, ut te, qui* (in oppositione idolorum Ies. 42, 8. Deuteron. 32, 12.) *solus verus Deus es, et, quem in carnem misisti, Iesum Nazarenum agnoscant Messiam verum et Christum.* Luc. 9, 20. Act. 9, 22. et 18, 5. 28. 1. Joan. 5, 1.

v. 4. 6. 26. Christus glorificavit Patrem per doctrinas, miracula, passionem et mortem, itemque resurrectionem. Vid. BRINCHII lib. cit. p. 75.

v. 9. Intercedo pro fidelibus intercessione speciali; non pro finaliter incredulis: licet pro conversione improborum adhuc

adhuc intercedam; ut ipse explicat commate 20. Vid. Luc. 23, 34.

v. 11. ἵνα ὡσιν ἐν, in fide et charitate atque spe. Ephes. 4, 3. 4. 5. καὶ ὡς (haec particula non *qualitatem*, neque *aequalitatem*, sed modo *comparationem* indicat) ἡμεῖς, ratione essentialis. Io. 10, 30. Rom. 12, 16. 1. Cor. 1, 10.

v. 19. ὑπὲρ ἀνθρώπων ἀγαθὰ ἐμαυτὸν, pro iis me tibi ut victimam consecro et in cruce offero. 1. Cor. 1, 2. 30. Hebr. 2, 11. 10, 10. 15. Sacrificia dicuntur *sancta*: et, cum offeruntur, dicuntur *sanctificari*, et offerentes dicuntur *oblata sanctificare* Levit. 22, 2. 3. 1. Chron. 23, 13. 2. Chron. 30, 17.

v. 22. Dedi illis jus adoptionis, gloriae plenum: sicut ego sum filius tuus essentialis. Nam *fundamentum* adoptionis est redemptio Christi, filii Dei essentialis. Io. 1, 12. 13. Gal. 3, 26. 4, 5. *ordo* eam consequendi positus est in regeneratione Iac. 1, 18. ejusque *effectus adjunctus* est amor fraternus inter filios Dei Rom. 12, 10. 1. Petr. 1, 22. tandem illius *privilegium* est conversatio cum Deo sancta et beata. Gen. 6, 9. Matth. 7, 9. sqq. Hebr. 10, 19. 22.

v. 24. Ex hoc dicto aeterna Christi divinitas egregie potest demonstrari. Conf. Proverb. 8, 22. 23. Io. 1, 1. et b. D. MART. GEIERI commentar. in Prov. Salom. ad h. l.

CAP. XVIII.

Conferantur *Observationes* meae in *Matthaeum*, *Marcum* et *Lucam*, quoad historiam passionis Christi.

v. 15. ἄλλος μαθητὴς erat Ioannes, constans ille Christi comes.

v. 32. Christus praedixerat, Romanos ipsum adfixuros esse cruci. Matth. 20, 19. Marc. 10, 33. Luc. 18, 32. *Crux* autem Christi neque *decussata* erat, neque *commissa*; sed *immissa*, ex ligno transverso breviori facta, quod transibat re-

stum palum paullo demiffius, hac forma †. Vid. JUSTVS LIPSIVS in lib. 1. *de cruce* cap. 10. et THOMAS GOODWINVS in *Mose et Aarone* lib. 5. cap. 9.

CAP. XIX.

v. 14.

Hoc comma ita vertendum esse censet vir clarissimus MARTINVS BORCKIVS in dissert. anno 1741. edita: *instabat autem parasceve*, scil. *πρὸ τῆς πάσχα* (*πρὸ* per ellipsin subintellecto) *ante Pascha, nempe hora sexta, antequam initium caperet*. Confer. D. ZELTNERVS ad h. l.

v. 31 - 38. Memoria teneamus hujus historiae

a) *vaticinium*. Zach. 12, 10. Apoc. 1, 7.

β) *typos*: nempe

1. latus dormientis Adami Gen. 2, 21. 22. Vid. D. LANGII hist. eccl. V. T. p. 28.

2. arcam Noachi in medio latere habentem aperturam. Gen. 6, 16.

3. Aaronem sanguine expiantem, et Mosen per nubem et aquam Israëliitarum salutem procurantem. 1. Corinth. 10, 2.

γ) *mysterium*, ratione *Christi* habita.

1. Vulnus lateris, in luce omniscientiae praevifum, utique ad ejus meritum et obedientiam passivam pertinebat. Io. 20, 27. 28. Nam status mortis duravit usque ad resurrectionem inchoatam.

2) *Sanguine* testatus est nostram redemptionem Hebr. 9, 19. sqq. Col. 1, 24. *agua* nostram sanctificationem Ezech. 36, 25. 26. 27.

3. Ex latere ejus aperto profluxit materia duorum N. T. *sacramentorum*. 1. Io. 5, 6. 8.

δ) *mysterium*, ratione *Christianismi* habita. Nos oportet quotidie cogitare

1. de

1. de expiando Deo, in *poenitentia stantium*, per sanguinem Christi:
2. de spirituali ablutione macularum peccati in nobis residuarum, in quotidiana renovatione: uti docet Paulus Hebr. 10, 22.

CAP. XX.

v. I.

Mα τῶν σαββάτων, i. e. πρώτη, prima hebdomadis die.

v. 5. 6. 7. Corpus sanctissimum sindoni cum aromatibus involutum longiori fascia, caput autem sudario fuerat circumdatum Matth. 27, 59. Luc. 22, 56. De voce *σδάριον* legatur IO. OLEARIVS in libro *de stylo Graeco N. T.* cum augm. IO. CONR. SCHWARZII p. m. 128. sqq. De ipsis *Judaeis Christi* dissertationem b. D. ERN. SAL. CYPRIANVS olim Helmstadii sub praesidio b. D. IO. ANDR. SCHMIDII habuit.

v. 14. 15. 16. Christus sine dubio usus est eadem lingua eademque dialecto, qua ante mortem in his terris usus erat, nempe Syro-Chaldaica, seu potius Syro-Aramaea Babylo-nica, id quod ex Matth. 5, 22. 6, 24. 9, 25. 27, 47. Marc. 3, 17. 7, 34. Luc. 16, 9. Ioan. 1, 43. 19, 13. Act. 9, 36. I. Cor. 16, 22. adparet. Vid. JOACH. KLAEDENII dissert. *de lingua Iesu Christi vernacula*, ao. 1739. Wittenbergae recusa, et celeb. IO. ANDR. MICH. NAGELII, philologi Altdorfini *diss. de lingua Aramaea* ao. 1738. edita.

v. 20. Vulnere sua in corpore glorificato per liberam oeconomiam eis ostendebat.

v. 22. Largiebatur illis largiorem mensuram donorum Spiritus sancti. Act. 2, 2. sqq.

v. 23. Ex h. l. absolutionem ministrorum ecclesiae haud demonstrari posse, existimarunt JVST. HENNING. BOEH-

N 2

MERVS

MERVS et CHR. TIMOTH. SEIDELIVS; at veram sententiam dudum vindicavit b. D. IO. FECHTIVS in *diff. de clave ligante et solvente*, et b. D. GOTTL. WERNSDORFFIVS in *differt. de fundamento confessionis et absolutionis privatae*.

v. 27. 28. Respicit haec Ioannes I. Epist. I, I. Verba autem Thomae in rectum tramitem reducti non admirationem, sed agnitionem Christi, confessionem de Θεωδωγάνω, et confidentiam in ipso, exprimunt. Rom. 4, 25.

CAP. XXI.

v. 1 - 9.

Iesus primum et ultimum miraculum in aqua patravit. Ies. 9, 1. Io. 2, 1. sqq. Conf. *Theologia mea Curiosa* part. I. p. 16. 17.

v. 9. Id factum est modo miraculoso, ad fidem discipulorum magis magisque confirmandam.

v. 15. sqq. Ternam abnegationem Petro in memoriam revocaturus Christus, non rerum gubernaculis eum admoveere, sed denuo confirmare voluit in munere apostolico.

v. 18. 19. Praedicit h. l. Petro Salvator supplicium crucis, si aliquando irrogandum; quod et senex sustinuit.

v. 22. Έως ἔρχομαι, donec venio ad solvendum animae et corporis ipsius vinculum.

v. 24. Ioannis testimonium fide est dignissimum, quia fuit testis αὐτοῦτος I. Io. I, I. a Spiritu S. impulsus Matth. 10, 20. 2. Petr. I, 20. sqq. et a Deo electus Act. 10, 41.

v. 25. Si signorum et miraculorum Christi omnium numerum, vim, pondus, majestatem, momenta singula, scopum, omnemque profunditatem spectemus; hominum mundi aetas iis perlegendis, perpennendis, exhauriendis et debito modo celebrandis, profecto non sufficeret. Conf. b. D. IO. IAC.

RAMBACHII egregiam ad h. l. observationem in

Hermen. Sacr. p. m. 439.

SOLI DEO GLORIA!

ad 24

00 A 6402


ULB Halle 3
002 927 349




Sb.

VD 17







38 39

LAVRENTII REINHARDI,
S. S. THEOLOG. DOCTORIS,
ECCLES. ET DIOECES. BYTTSTAD. PASTORIS PRIMARIJ
AC SVPERINTENDENTIS,

OBSERVATIONES
IN
EVANGELIVM
S. IOANNIS
PHILOLOGICO-EXEGETICAE
SELECTISSIMAE,
QVIBVS
CELEBERRIMORVM VIRORVM,
PAVLI TARNOVII
IO. CHRISTOPHORI WOLFFII,
ET
CHRISTIANI STOCKII,
ADNOTATIONES SVPPLENTVR
ET AVGENTVR.

LIPSIÆ, R
SVMPTEBVS THEOPHILI CLANNERI.
M DCC LI.